AUTHOR:

RIEDEL, JULIUS

TITLE:

DE HERMOCRATIS SYRACUSANI VITA

PLACE:

[CASSEL]

DATE:

[1878]

Master Negative #
91-80190-33

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Riedel, Julius.
... De Hermocratis Syracusani vita ac moribus dissertatio. [Cassel, Döll, 1878]
32 p. 26 cm.

At head of title: Königliches gymnasium zu Cassel (Lyceum Fridericianum). Programm.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 13x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 12/17/92 INITIALS mGY
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

BIBLIOGRAPHIC IRREGULARITIES

MAIN
ENTRY: Riedel, Julius

Bibliographic Irregularities in the Original Document
List volumes and pages affected; include name of institution if filming borrowed text.

_____Page(s) missing/not available: _____

_____Volumes(s) missing/not available: _____

_____Illegible and/or damaged page(s): 7. 9, 10


_____Page(s) or volumes(s) misnumbered: _____


_____Bound out of sequence: _____


_____Page(s) or illustration(s) filmed from copy borrowed from: Princeton University

_____Other: _____











Centimeter
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm
1 2 3 4 5
Inches







Königliches Gymnasium zu Cassel
(Lyceum Fridericianum).

Programm

vom Schuljahre 1877|78

als

Einladung zu der am 11. und 12. April 1878

abzuhaltenden

öffentlichen Prüfung der Oster-Klassen

sowie

zu der am 13. April Statt findenden Schlußfeier.

Inhalt:

Cassel 1878.
Druck von L. Döll (Döll und Schäffer).

1878. Progr. Nr. 319.

De

Hermocratis Syracusani

vita ac moribus dissertatio.

Praefatio.

Hunc de Hermocratis Syracusani vita ac moribus libellum quum conscribere animum induximus, id inprimis egimus ut animum et ex quotidianis muneris publici negotiis recrearemus et firmaremus ad officia ejus in posterum subeunda. Ut autem ad viri illius vitam enarrandam accederemus, quum Thucydidis librorum VI. et VII., quibus summus ille rerum scriptor magnam illam, ut ita dicamus, tragoediam expeditionis ab Atheniensibus in Siciliam factae memoriae prodidit, lectio nos adduxit, tum praeceptor noster dilectissimus, W. Muenscherus, cujus mortem abhinc paucos annos in hac urbe deploravimus, jampridem hortatus erat, ut ad praeclarum illum Syracusanum animum adverteremus. Atque hic libellus W. Muenscheri, cujus Manibus pio gratoque animo eum dedicavimus, memoria utinam ne sit indignus!

De eodem viro illo, quod nos quidem sciamus, libro agitur a C. ab Osenbruggen conscripto: „De Hermocrate Syracusano, Hag. a. MDCCCXLII.“ Item A. Steins „de Hermocrate, Syracusanorum imperatore, Monast. a. MDCCCLXVIII“ librum composuit. Quos libros ad manum nobis non fuisse dolemus. Ad. Holmii autem opus: „Geschichte Siciliens im Alterthume, Leipzig 1874“, ex quo opere dissertationes illas, quas diximus, editas esse cognovimus, jam confecto hoc libello sub oculos nostros venit.

De Hermocratis Syracusani vita ac moribus.

„Justum ac tenacem propositi virum
„Non civium ardor prava jubentium,
„Non vultus instantis tyranni
„Mente quatit solida neque Auster,

„Dux inquieti turbidus Adriae,
„Nec fulminantis magna Jovis manus.
„Si fractus illabatur orbis,
„Impavidum ferient ruinae."

Horat. carm. III. 3. 1—8.

Hermocrates Syracusanus Hermonis filius fuit [1]). Praeter patris nomen de parentibus ejus nihil memoriae proditum est, ne nomen quidem matris. Quod eo magis mirandum est, quum summo loco esset natus; id quod et facile conjicias ex ea, qua apud cives per totam vitam fruebatur auctoritate, et ex his Diodori verbis manifestum est: Ὁ δ' οὖν Διονύσιος (Dionysius prior Syracusanorum tyrannus) εὐθέως ἔγημε τὴν Ἑρμοκράτους θυγατέρα [2]), τοῦ καταπολεμήσαντος Ἀθηναίους, καὶ τὴν ἀδελφὴν ἔδωκε Πολυξένῳ τῆς Ἑρμοκράτους γυναικὸς ἀδελφῷ· τοῦτο δ' ἔπραξε βουλόμενος οἰκίαν ἐπίσημον εἰς οἰκειότητα προςλαβέσθαι πρὸς τὸ τὴν τυραννίδα ποιῆσαι βεβαίαν [3]). Alio ejusdem scriptoris loco πρωτεύων τῶν πολιτῶν dicitur [4]). Quamobrem Syracusanos, qui tunc libera utebantur republica, postea videbimus semper in metu fuisse, ne Hermocrates occuparet tyrannidem [5]).

Neque usquam aliorum genere ei propinquorum mentio facta est nisi Proxeni, quem Xenophon auctor est ejus fuisse fratrem [6]). Quod attinet ad Hermocratis genus, omittere nolumus jocosa illa, quae Timaeum fabulatum esse Longinus perhibet [7]): ὅτι εἰς τὸν Ἑρμῆν ἀσεβήσαντες καὶ περικόψαντες αὐτοῦ τὰ ἀγάλματα, διὰ τοῦτ' ἔδωκαν (οἱ Ἀθηναῖοι) δίκην· οὐχ ἥκιστα δὲ δι' ἕνα ἄνδρα, ὃς ἀπὸ τοῦ παρανομηθέντος διὰ πατέρων ἦν, Ἑρμοκράτην τὸν Ἕρμωνος.

Praeter Hermocratem illum, de quo agimus, alius quidam Hermocrates, et ipse Syracusanus, a Diodoro et Polyaeno laudatur, pater Dionysii, quem supra diximus, prioris Syracusanorum tyranni [8]). Quos inter se cognatos fuisse ex Diodori loco, quem supra attulimus, non est verisimile. Tamen Dionysium juvenem a nostri Hermocratis partibus stetisse scriptum legimus [9]).

Denique quae in Polyaeni l. V. c. 2. et 4. de Hermocrate quodam inveniuntur, nec ad nostrum pertinent et corrupta sunt [10]).

Jam quo anno natus sit Hermocrates, quum scriptores antiqui omnes eam rem silentio praetereant, ne conjectura quidem consequi possumus. Tantum suspicari licet Hermocratem, quum primum in Siciliensium conventu Gelam convocato verba faciebat, verno tempore anni 424 a. Chr. n. (Ol. 88. 4.) quadraginta annis vix minorem natu fuisse [11]). Jam tum enim

---

[1]) Thuc. IV. 58, alias. — [2]) Et ejus nomen apud scriptores frustra quaesiveris; de morte ejus cf. Diod. XIII. 112 et Plut. Dion. 3. Cf. D'Orvill. animadv. in Chariton. Aphrod. I. 1. 4: „An Chariton nomen verum filiae Hermocratis (Καλλιῤῥόην) prodiderit, in incerto." — [3]) Diod. XIII. 96; XIV. 44. — [4]) Diod. XIII. 34. — [5]) Thuc. VI. 39. Diod. XIII. 75. — [6]) Xen. H. G. I. 3. 13. — [7]) Longin. de subl. (IV. 1. p. 11. Oxon.) apud Goeller. in Timaei fragm.; cf. Plut. Nic. 1. — [8]) Diod. XIII. 91. 96; Polyaen. strat. V. 2. — [9]) Diod. XIII. 75. — [10]) Cf. annot. Justi Vulteji ad h. l. — [11]) Thuc. IV. 58.

se praestat talem virum, qualem Thucydides postea describit, prudentia, rerum militarium peritia, virtute insignem [1]). Etiam ex aliis Thucydidis locis Hermocratem tunc e seniorum numero fuisse satis patet. Novem annis enim post conventum illum Athenagoras, quem Thucydides Hermocrati obloquentem facit, nobiles Syracusanorum juvenes, qui Hermocratem optimatesque sequebantur [2]), ab eorum partibus avocare studebat, quum optimam reipublicae formam docebat esse liberam et perrexit: ἃ ὑμῶν οἵ τε δυνάμενοι καὶ οἱ νέοι προθυμοῦνται, ἀδύνατα ἐν μεγάλῃ πόλει κατασχεῖν [3]). Verbis οἵ τε δυνάμενοι imprimis Hermocratem dici simulque seniores et juniores distingui apparet [4]).

Plura de ea re verba facere nihil refert; sed recte Chariton Brasidam circa Hermocratis Syracusani aetatem floruisse perhibet [5]).

De juventute ejus nihil traditum est; virum tantum confirmatum studiosissimumque totius patriae ab hostibus defendendae Gelae cognoscimus, quo legati omnium Siciliae urbium vocati erant ad patriam pacandam. Quare priusquam de Hermocrate ipso agere pergamus, paucis verbis, quaenam temporibus illis Siciliae conditio fuerit, nobis est explicandum.

Temporibus illis, quibus bellum Peloponnesiacum inter civitates Graecas conflabatur, Sicilia, insula, quae inter ceteras ubertate frumenti, olei, vini excellebat, divitiis quoque, reipublicae forma, litterarum laude, maxime artis rhetoricae, florebat. Quae quum ita sint, non est, cur miremur Peloponnesios maximeque Corinthios, quibuscum Siciliae Dorienses mercaturas faciebant, quum bellum illud immineret, in magnam venisse spem fore ut Siciliae Italiaeque civitatum, genere sibi propinquarum, opibus auxiliisque juvarentur. Neque dubitandum est, quin Peloponnesii legatis missis civitates illas Doricas plus semel adhortati sint, ut sibi auxilio venirent. Primo belli illius anno, quum Peloponnesii classem quingentarum navium parare molirentur, etiam Sicilienses Italicosque pro viribus et naves facere et pecunias conferre jussos esse auctor est Thucydides [6]). Inter Jonias illarum regionum civitates et Athenienses num qua foederum conjunctio illa quidem aetate intercesserit, in dubio relinquitur. Prioribus autem temporibus inter illas societatem quandam exstitisse jam inde patet, quod Leontini bello cum Syracusanis orto ab Atheniensibus auxilium petiverunt „κατά τε τὴν παλαιὰν ξυμμαχίαν καὶ ὅτι Ἴωνες ἦσαν" [7]).

Quae spes Peloponnesios fefellit; nam neque a Siciliensibus neque ab Italicis tunc ullum aut navium aut pecuniarum auxilium impetraverunt [8]), id quod Hermocrates Syracusanis quindecim annis post vitio vertit, quum diceret: „Ἐπέρχονται γὰρ ἡμῖν (οἱ Ἀθηναῖοι) ὡς οὐκ ἀμυνουμένοις δικαίως κατεγνωκότες, ὅτι αὐτοὺς οὐ μετὰ Λακεδαιμονίων ἐφθείρομεν" [9]).

Eodem tempore, quo inter Lacedaemonios et Athenienses magnum illud bellum exarserat, Sicilienses se ipsi bello persequebantur. Syracusani autem Leontinis bellum intulerunt. Cum Syra-

---

[1]) Thuc. VI. 72: Ἑρμοκράτης, ὁ Ἕρμωνος, ἀνὴρ καὶ ἐς τἆλλα ξύνεσιν οὐδενὸς λειπόμενος καὶ κατὰ τὸν πόλεμον ἐμπειρίᾳ τε ἱκανὸς γενόμενος καὶ ἀνδρίᾳ ἐπιφανής sq. — [2]) Ex eorum numero fuisse videntur qui illius ἑταῖροι nominantur Thuc. VII. 73. — [3]) Thuc. VI. 39. — [4]) Cf. quae Poppo ad Thuc. VI. 38 recte disputavit et attulit. — [5]) De Chaerea et Callirrhoe VIII. 2; cf. G. Schimmelpfeng, Dissert. inaug. de Brasidae Spartani reb. gest. atque ingenio p. 48 et 4., ubi ille Brasidam intra annos 470 et 465 a. Chr. natum esse conjecit. — [6]) Thuc. II. 7. — [7]) Thuc. III. 86. — [8]) Thuc. l. l.: αἱ ἄλλαι Δωρίδες πόλεις, αἵπερ καὶ πρὸς τὴν τῶν Λακεδαιμονίων τὸ πρῶτον ἀρχομένου τοῦ πολέμου ξυμμαχίαν ἐτάχθησαν, οὐ μέντοι ξυνεπολέμησάν γε. — [9]) Thuc. VI. 34.

cusanis praeter Camarinaeos ceterae civitates Doricae faciebant, cum Leontinis Jonum civitates et Camarinaei. Ex Italicis Locrenses a Syracusanorum partibus stabant, a Leontinorum partibus Rhegini.

Anni autem 426 a. Chr. n. aestate (Ol. 88. 2.) Leontini, quum a Syracusanis mari prohibiti intra urbis moenia circumsederentur, legatos Athenas miserunt (in his Gorgiam, clarissimum illum rhetorem [1]), qui auxilium peterent. Itaque Athenienses cognatione praetexta, quum id potissimum agerent, ut et caverent, ne frumenta ex Sicilia in Peloponnesum transportarentur et explorarent, num qua sibi facultas daretur Siciliae in potestatem suam redigendae, viginti naves cum Lachete et Charoeade ducibus miserunt. Qui classe ad Rhegium appulsa ex ea regione cum sociis juncti id bellum gesserunt [2]).

Inde vario eventu illic pugnatum est, ita tamen ut Laches, Charoeade in proelio a Syracusanis necato, Messana potiretur [3]). Sed quum res parum processisset, Leontini iterum legatione missa ab Atheniensibus plures naves petiverunt. Qui initio anni 425 a. Chr. n. (Ol. 88, 3.) Pythodorum cum paucis navibus in Siciliam praemiserunt, plures naves sese missuros polliciti. Vere igitur ejusdem anni quadraginta navium classis Eurymedonte, Sophocle, Demosthene ducibus eodem abire jussa tempestate ad Pyli portum delata est, ubi Atheniensibus contigit, ut Spartiatas in insula Sphacteria circumclusos caperent. Quo factum est, ut ea classis auctumni demum tempore in Siciliam perveniret [4]).

Neque Laches neque qui ei successerat, Pythodorus, usque ad id tempus rem bene gerere potuerant, is etiam Messanam a Lachete expugnatam amiserat [5]). Neque vero post Eurymedontis adventum magna rerum commutatio in Sicilia facta est. Syracusani vero, quum Atheniensium res in Graecia tam prospere evenissent, ut captis Spartiatis illis ac Pylo Cytheraque expugnatis jam superiores viderentur, Lacedaemonii animo deficerent, atque quum tanta Atheniensium classis ad Rhegium in ancoris consistens patriae immineret, et ipsi et socii eorum omnes optimum esse sibi persuaserunt, ut insulam suam pacarent.

Quibus rebus commoti quum Camarinaei, qui usque eo ab Jonum partibus steterant, cum Gelensibus indutias fecissent, etiam ceterarum Siciliae civitatum omnium legati vere anni 424 a. Chr. n. Gelam convenerunt, ubi de reconcilianda pace disceptarent. Ibi quum alii alia dixissent inter sese altercantes, Syracusanorum legatus, Hermocrates, hujusmodi verba fecit:

Quum Sicilienses suum quemque commodum inconsulte ac temere sequi cognovisset, non totius patriae respicere salutem, in gratiam omnes reconciliari ad tempus esse ratum, ipsum maximae Siciliae urbis civem, quid totius Siciliae esset ex usu, esse dicturum.

Quae reconciliatio si illis non esset probata neque contigisset, ut suo quisque lucro contentus abiret, licere perseverare in bello.

Neque vero quemquam fugere posse hoc conventu non agi de singulorum commodis, sed de servanda totius Siciliae ab Atheniensibus petitae salute. Quos tum quidem paucis cum navibus [6])

---

[1]) Diod. XII. 53. — [2]) Thuc. III. 86. — [3]) Thuc. III. 88. 90. — [4]) Thuc. IV. 48. — [5]) Thuc. IV. 1. 25. — [6]) Cf. Grote (Gesch. Griechenlands, aus dem Englischen übertragen von Meissner) IV. p. 107 in annot. 41: „Ein Ausdruck in dieser Rede (Thuc. IV. 59—64.) deutet an, dass sie vom Thukydides viele Jahre nach ihrem eigentlichen

adesse sociorum nomine, postea vero, quum quando illorum vires discordiis fractas vidissent, etiam majore cum classe redituros esse ad universam insulam in potestatem suam redigendam. Atqui, si saperent, pro viribus illos niti debere, ut alias terras accitis sociis imperio suo potius adjicerent quam suas in discrimen ac periculum vocarent, atque sibi persuadere, discordias et singulis urbibus et universae Siciliae maxime futuras esse exitio.

Quamobrem pacem reconciliarent neve opinarentur Dorienses in insula sua habitantes ab Atheniensibus haberi pro hostibus, Chalcidicam gentem, quod Jonum esset, ab eorum impetu esse tutam. Non singulas gentes, quod diversi essent generis, ab iis peti, sed omnes. Quare unam omnium salutem positam esse in reconcilianda pace. Qua facta Athenienses ex Sicilia infecta re discessuros.

Quum ad Athenienses illorum plurimum interesset, ut discordiis desisterent, cur non inter se ipsi pacem facerent, qua bona omnia servari, mala arceri omnes inter sese consentirent? Incertum semper esse belli eventum; quare quum ob eum metum tum quod Athenienses formidolosi adessent, quae quisque consilia exsequi cupivisset, jam omittenda esse arbitrati, ejectis ex Sicilia hostibus, aut in omne tempus pacem paciscerentur aut certe in tempus quam plurimum induitiis factis discordias suas differrent in posterum. Quod si ipsi obsecuti fecissent, fore ut patria liberaretur; sin aliorum consilia secuti essent, actum fore de illorum libertate.

Nulla autem alia ratione fieri posse, ut pacem restituerent, nisi periculorum illorum memores inimicitias suas patriae remitterent et alii aliis de consiliis suis concederent; ipsum ad id esse paratum, quantum fieri posset, illi sua sponte idem facerent. Nam convenire inter se cives ejusdem terrae ac nominis non esse dedecori. Atque si res ita ferret, aut bello se persequerentur, aut pacem reconciliarent inter se; externarum gentium vim, si saperent, omnes a patria prohiberent neve unquam in posterum auxilia adhiberent externa. Quo facto et Siciliam ab Atheniensibus belloque civili liberatum iri et ipsos terram inculturos esse liberam atque ab aliis minus petitam [1]).

Quae quum Hermocrates dixisset, Sicilienses auctoritate ejus permoti inter se reconciliati sunt ita ut, quae quisque possideret, ea obtineret, Morgantina autem certa pecunia Syracusanis soluta Camarinaeorum esset.

Quibus rebus constitutis Athenienses, quum Jonibus auctoribus pacis conditiones accepissent, ex Sicilia discesserunt. Soli Locrenses pacem cum Atheniensibus facere noluerunt [2]). Ita Sicilia Hermocratis opera tum pacata est [3]).

Datum abgefasst wurde, nach der grossen Expedition der Athenienser gegen Syracus im J. 415 v. Chr.; doch bezweifle ich nicht, dass Thukydides die Memoranda zu ihr zu der Zeit sammelte. Hermokrates sagt: „Die Athener sind jetzt mit wenigen Schiffen hier und lauern auf unsere Fehler" — ὀλίγαις ναυσὶ παρόντες sq. Thukydides aber, der diese Rede nach der grossen athenischen Expedition von 415 v. Chr. abfasste, die so sehr zahlreicher und überwältigender in jeder Hinsicht war, konnte die Flotte des Eurymedon nicht unnatürlich als „einige wenige Schiffe" darstellen, wenn er beide stillschweigend verglich. Dies ist die einzige Art, die ich kenne, einen solchen Ausdruck zu erklären. Der Scholiast bemerkt, dass einige Copieen in seiner Zeit die Worte ὀλίγαις ναυσὶ ausliessen: wahrscheinlich beachteten sie den von mir angemerkten Widerspruch, und die Stelle kann sicher ohne jene Worte gedeutet werden." — Nos quidem verba illa propter sequentia: καὶ πλέονί ποτε στόλῳ ἐλθόντας retinenda esse censemus. — [1]) Thuc. IV. 58—64. Grote l. l. IV. p. 99—107 et annot. 42 de Hermocratis oratione a Timaeo composita. — [2]) Thuc. V. 5. — [3]) Thuc. IV. 65.

Discidia inter Sicilienses paulo post denuo coorta narrare alienum est ab eo, quod nobis proposuimus. Id unum praetermittere nolumus, Leontinos jam per multum temporis non desiisse Athenienses orare et obsecrare, ut sibi opem ferrent contra Syracusanos. Denique inter Selinuntios et Segestanos bello coorto quum etiam Segestani, qui jam decem fere ante annos cum Lachete foedus icerant, vere anni 416 a. Chr. n. (Ol. 90, 4.) legatis missis ab Atheniensibus auxilium petivissent, Athenienses classem magnam in Siciliam miserunt, cui Nicias, Alcibiades, Lamachus praeerant. Qui jussi sunt Segestanis auxilio venire contra Selinuntios; Leontinorum urbem, si fieri posset, restituere; quod ad ceteras Siciliensium res pertineret, quidquid e republica sua sibi optimum visum esset, facere [1]).

Quae Atheniensium classis quum jam ad Corcyram insulam pervenisset (aestate anni 415 a. Chr. n., Ol. 91. 1), Syracusas rumores demum de Atheniensium adventu undique perlati sunt. Quos veros esse plerique negabant. Denique concione convocata quum alii verba fecerunt tum Hermocrates hanc habuit orationem [2]):

Vix credibilia de Atheniensium adventu vere imminente quamquam dicturus esset neque ignoraret vix fieri posse quin, quippe qui fabulas narraret, non rideretur ab iis ut stultus, tamen, quum patria in periculo esset, eorum ludibriis non deterritum atque ratum ipsum melius de ea re doctum esse quam ullum alium, sese dicturum.

Athenienses enim magna classe omnibus rebus instructa contra Siciliam proficisci, verbo quidem, ut Segestanis opem ferrent et Leontinos restituerent, re autem vera, ut captis Syracusis in potestatem suam redigerent totam Siciliam. Rati igitur hostes brevi adfuturos esse eam defenderent, quoquo modo possent. Neque vero esse, quod ii, quibus verum nuntiare videretur, audacia opibusque eorum perterrerentur, atque adeo confiderent non modo posse se hostium impetum sustinere, sed etiam magnum eorum apparatum sibi ex usu futurum esse, quum ceteri Sicilienses, eo metu perculsi, eo paratiores futuri essent, sibi subvenire. Age vero meminissent, si hostes devictos expulissent, quantae gloriae apud omnes id sibi esset futurum. Neque dubitare se, quin futurum esset, ut id illis contingeret. Testibus uterentur ipsis Atheniensibus, qui devictis innumeris Persarum copiis tantopere essent aucti.

Quibus rebus permoti ac freti viribus suis et domi bellum pararent et legationes mitterent ad omnes Sicilienses, adhortantes, ut omnium commune periculum esse sibi persuaderent; ad Italicos, ad Carthaginienses, quippe qui et ipsi crescentes Atheniensium res vererentur et divitiis, maximo belli adjumento, plurimum pollerent; ad Lacedaemonios Corinthiosque rogatum, ut et in Siciliam auxilia mitterent et domi bellum renovarent.

„Jam vero", inquit, „quid maxime necessarium optimumque esse existimem, id quod vobis propter solitum tranquillitatis studium minime probetur, dicam. Coactis omnibus, quae nobis adsunt, navibus, Sicilienses omnes aut plurimi, Tarentum et ad Japygium promuntorium evecti occurramus Atheniensibus, docentes, priusquam de Sicilia decertetur, certamen futurum esse de trajiciendo mari Jonio [3]). Quod si fecerimus, et maximum iis terrorem injiciemus et, in quanta difficultate res eorum sit, admonebimus."

[1]) Thuc. VI. 8. Diodoro supersedere possumus, quippe quem parva auctoritate esse constet; cf. Schimmelpfeng l. l. p. 6. ann. 1. — [2]) Thuc. VI. 32. — [3]) Bene J. Classen (in ed. Thucyd., Berol. 1876) ad h. l. (VI. 34): „περὶ τῆς Σικελίας halte ich mit Dobrée und Stahl für nothwendig (dem τοῦ — περαιωθῆναι gegenüber)".

Difficile fore hostibus propter longam navigationem ordines servare; facile ipsis in eorum inaves impetum facere, quum lente et paullatim aggredi possent. Sin autem hostes majore navium parte celerius navigante navibus exoneratis aggressi essent, illi aut pugnam committerent cum iis, quum remigando fatigati essent, aut Tarentum se reciperent. Denique futurum esse, ut Athenienses, si illos eo persequerentur, re frumentaria afflictati aut circumsederentur aut Italiae oram praetervehentes, quum de urbium voluntatibus, utrum se reciperent necne, incerti essent, animo deficerent. Quibus deliberationibus hostes cohibitos a Corcyra omnino non esse discessuros, sed consultando et explorando, quantae copiae Siciliensium et quo loco essent, aut in hiemem ductum iri aut omnino expeditione esse destituros, praesertim quum peritissimum hostium ducem invitum classi praeesse cognovisset, ac, si illi fortiter resisterent, libenter eo usurum esse praetextu ad classem domum reducendam. Procul dubio autem ipsos, si priores auderent hostes invadere, majorem iis terrorem injecturos esse, quam si se propulsuros esse invadentes ostenderent.

Opinatos enim, illos se non defensuros esse, Athenienses jam adventare, jure illos contemnentes, quod non jam pridem cum Lacedaemoniis juncti eos oppressissent [1]). Si autem illos invadere se vidissent praeter spem, inexspectata illorum fortitudine eos magis perterritum iri quam viribus, quae illis tum essent.

„Quare sinite", inquit, „id vobis persuaderi; si minus, quam celerrime cetera parate ad hostes propulsandos; et sibi quisque persuadeat, contemptum hostium adventantium maxime cerni in parando cum diligentia bello; agere autem cum prudentia quasi bello jam instante quam maxime saluti vestrae conducat. Adventant hostes, nolite dubitare, jam sunt in itinere, tantum non adsunt" [2]).

Ita Hermocrates. Syracusanis autem inter se altercantibus quum alii nullo modo adventuros esse Athenienses putarent, alii, etiamsi advenissent, quidnam mali sibi illaturi essent, quod non ipsi gravius essent passuri, dicerent, alii rem etiam in risum verterent, pauci, Hermocrati fidem habentes, de rebus sibi imminentibus angerentur, Athenagoras quidam, qui tum plebis dux erat acceptissimus, in hunc modum dixit [3]):

Athenienses quisquis nollet contra Siciliam proficisci, aut ignavum esse aut civitati inimicum. Qui eos rumores pertulissent, eorum se admirari non audaciam, sed amentiam, quod consilia sua occultari posse opinarentur.

Rumores illos esse falsos. Quae eventura essent, ne ex rumoribus ab illis allatis conjicerent, sed ex prudentia ac rerum peritia eorum hominum, quos Athenienses esse sibi persuasisset. Tantum enim abesse, ut Athenienses bello Lacedaemoniorum non confecto in aliud bellum ruerent, illo non levius, ut satis haberent illos bellum non inferre ipsis.

Sed si revera Athenienses in Siciliam venissent, dubitari non posse, quin futurum esset ut plane interirent; tanto superiores esse ipsorum et vires et omnium rerum apparatum.

Quid igitur sibi vellent ii qui fabulas illas narrarent, nisi ut, id quod jam dudum moliti essent, terrore multitudini injecto ipsi rerum potirentur? Atque etiam, qua illi essent ignavia inertiaque, vereri se, ne, quod iis esset propositum, assequerentur, eo magis, quod antea jam saepe id illis accidisset.

[1]) Cf. p. 3. — [2]) Thuc. VI. 33. 34. — [3]) Thuc. VI. 35.

Quae res ne fierent, si illi se audirent, se prohibiturum, quum populum moneret, quum eos qui talia molirentur, poenis persequeretur, quum optimates vel maleficiorum convinceret vel caveret vel docendo ad sanitatem reduceret. „Quid tandem“, inquit, „adolescentes, in animo habetis? Num jam dominari? Vetant leges. Numquid non iisdem juribus uti atque ceteri? Qui fieri justum sit, ut iidem non iisdem utantur juribus?“

Liberam reipublicae formam, pergit, unam esse justam, injustam optimatium dominationem, quam ut illorum et potentes et juvenes in ampla civitate obtinerent fieri non posse.

„Quae quum ita sint“, inquit, „aut meliora edocti aut in poenitentiam versi publicam salutem augete, missos facite nuntios illos, quippe quos, quum praesenserimus, non permissuri simus. Haec autem civitas, si Athenienses venerint, qua par erit, virtute se defendet. Sin falsi sunt rumores illi, non perturbata iis non injunget sibi servitutem vos duces creando, sed per se ipsa conabitur tueri libertatem“ [1]).

Ita Athenagoras. Ex ducibus autem unus quum surrexisset, alium quemquam verba facere vetuit et ipse de rebus propositis haec: „Neque crimina“, inquit, „quosdam serere ex re est, neque eos qui audiunt accipere, sed de rebus ad nos allatis consultare, quid et singulis et universae civitati sit faciendum, ut invadentes hostes fortiter propulsemus. Neque vero, si ea re nihil opus sit, rempublicam equitibus, peditibus, ceteris rebus, quae ad bellum parandum necessariae sunt, ornari nobis sit damno. Quae providere atque inspicere nobis curae erit, et legatos ad urbes dimittere et explorare, et si quid praeterea videbitur ex re esse. Atque etiam nonnulla jam providimus, et quidquid cognoverimus, ad vos deferemus.“

Quae quum dux dixisset, Syracusanorum concio dimissa est [2]).

Interea Athenienses a Corcyra insula, mari Jonio transmisso, quum Rhegium pervenissent, extra urbem (in urbem a Rheginis non sunt recepti) ad Dianae templum castris collocatis Rheginos adhortati sunt, ut secum Leontinis opem ferrent. Qui quum neutram se partem adjuturos atque idem facturos esse dixissent, quod ceteris Italicis placuisset, Athenienses, qua ratione res in Sicilia gerenda esset, deliberabant [3]).

Tum vero Syracusani, quamquam jam ante neglectis Athenagorae criminibus Hermocratem secuti bellum paraverant [4]) et nuntiis undique allatis et per speculatores certiores facti hostium naves revera ad Rhegium esse appulsas, toto animo de bello defendendo cogitabant [5]).

Et quum Athenienses non statim, ut Lamachus voluerat [6]), Syracusanos perterritos invasissent, sed ab initio timidi cum ceteris Siciliae urbibus paciscendo tempus traherent [7]), Syracusani, confirmatis in dies animis ac spe, palam postulaverunt, ut proelio cum hostibus decertaretur. Quin etiam equites Syracusanorum ad Atheniensium castra, quae tum circa Catinam erant (qua urbe dolo potiti erant [8]), speculandi causa adequitantes illos ludibrio habebant [9]).

---

[1]) Thuc. VI. 36—40. — [2]) Thuc. VI. 41. — [3]) Thuc. VI. 44. — [4]) Thuc. VI. 41: *τὰ δὲ καὶ ἐπιμεμελήμεθα ἤδη.* — [5]) Thuc. VI. 45. — [6]) Thuc. VI. 49. — [7]) Thuc. VII. 42. — [8]) Thuc. VI. 51. — [9]) Thuc. VI. 63. Plut. Nic. 16: *τοῦ δὲ ποταμοῦ διαφθείρων καὶ ἀποκόπτων τὰς γεφύρας* (*Νικίας*) *παρέσχεν Ἑρμοκράτει λέγειν παραθαρρύνοντι τοὺς Συρακοσίους, ὅτι γελοῖός ἐστιν ὁ Νικίας, ὅπως οὐ μαχεῖται στρατηγῶν, ὥσπερ οὐκ ἐπὶ μάχῃ πεπλευκώς* sq.

Ne multa, quum Athenienses per insidias in magnum Syracusanorum portum ingressi, locis circa Jovis Olympii templum occupatis, aciem instruxissent, ibi proelium committitur, in quo Syracusani, quamvis aliquamdiu hostium impetum fortiter sustinuissent, postremo fusi terga verterunt. Ex Syracusanis circiter ducenti sexaginta, ex Atheniensibus quinquaginta ceciderunt [1]).

Sed Athenienses, quum propter magnum hostium equitum integrorum numerum fusos pedites non longe persecuti essent, navibus in mare deductis Catinam redierunt (circa Nov. anni 415 a. Chr. n.) sperantes proximo vere Syracusas majore vi se esse petituros.

Syracusani autem ubi caesos sepeliverunt, concione advocata de rebus suis deliberaverunt. Quorum animi quum clade accepta afflictati essent, Hermocrates eos confirmavit et hortatus est, ne animo deficerent.

Non tam quod virtutis expertes, quam quod nullo ordine pugnassent, proelio illos esse victos. Sed non tanto inferiores fuisse, quanto fuisset exspectandum, praesertim qui cum Graecis rei militaris peritissimis ut rudes, propemodum ut operarii dimicavissent [2]). Magno autem damno illis fuisse et nimium ducum numerum (quindecim fuisse traduntur) et militum immodestiam ducibus non obsequentium. Quodsi paucos duces, rei militaris peritos, creavissent et ea, quae instaret, hieme quam plurimos gravis armaturae milites comparatos ad militiam strenue exercitandam adegissent, vix dubitare se ait, quin, si virtuti, quam jam praestitissent, etiam modestiam atque obsequium junxissent, futurum esset ut superiores discederent. Meliore enim rei militaris scientia etiam nutritum iri illorum audaciam. Quamobrem paucos duces, qui libera essent potestate, facerent et iis jusjurandum darent facturos se esse, quaecunque iis placuissent. Ita enim et consilia melius occultatum iri et omnes res prosperius esse processuras.

Et Syracusani, quibus omnia probata erant, quae ille monuerat, et ipsum Hermocratem ducem creaverunt et Heraclidam, Lysimachi filium, et Sicanum, Execesti filium, illi adjunxerunt, atque Corinthum et Lacedaemonem legatis missis rogaverunt, ut et auxilia sibi mitterent et illic bellum contra Athenienses majore vi moverent, ita ut aut eorum exercitum a Sicilia abducerent aut prohiberent, quominus auxilia submitterentur [3]).

Dum (eadem hieme anni 415 a. Chr. n.) Athenienses, quum triremi Athenas missa petivissent, ut pecuniae equitesque sibi submitterentur, Messanam frustra tentant (cujus cives, ut illos caverent, Alcibiades Athenas revocatus in itinere monuerat), Syracusani urbem suam muro circum Apollinis Temenitae templum a mari exteriori usque ad magnum portum ducto muniunt atque ad Megara (locum desertum) et Jovis Olympii templum castellis exstructis maris oram, ubicunque egrediendi facultas dabatur, sublicis immissis obstruunt.

---

[1]) Thuc. VI. 64—71. Diod. XIII. 6., qui errat, quum dicit Olympieum ab Atheniensibus captum esse; neque minus fabulas narrat Pausanias (X. 28. 3.): *Περισσῶς δὲ ἄρα εὐσεβείᾳ θεῶν ἔτι προςέκειντο οἱ ἄνθρωποι· ὡς Ἀθηναῖοι δῆλά τε ἐποίησαν, ἡνίκα εἷλον Ὀλυμπίου Διὸς ἐν Συρακούσαις ἱερὸν, οὔτε κινήσαντες τῶν ἀναθημάτων οὐδὲν, τὸν ἱερέα τε τὸν Συρακούσιον φύλακα ἐπ' αὐτοῖς ἐάσαντες.* Similia Plut. l. l. — [2]) Cum Poppone *ὡς εἰπεῖν χειροτέχνας* omisso *καὶ* malumus legi quam *χειροτέχναις*. Cf. J. Classen ad h. l. — [3]) Thuc. VI. 72. 73. Diod. XIII. 4.

Inde Catinae Atheniensium castris tabernaculisque combustis, quum Camarinam ab Atheniensibus legatos missos esse cognovissent, qui Camarinaeos socios sibi adsciscerent, et ipsi Camarinaeis diffisi, legatos miserunt ad eorum voluntatem sibi conciliandam.

Quibus legatis concilio dato Hermocrates, ut Camarinaeorum animos a foedere cum Atheniensibus faciendo averteret, haec verba fecit [1]):

Adesse se non veritos, ne illi praesentibus Atheniensium viribus perterrerentur, sed ne Athenienses orationis vi illis persuaderent, priusquam se quoque antea audivissent.

Venisse enim Athenienses in Siciliam non ad restituendos Leontinos, sed ut Sicilienses omnes depellerent. Nam consentaneum non videri, eos propter cognationem Leontinorum Chalcidensium saluti prospicere, Chalcidenses autem Euboeam incolentes, quorum coloni hi essent, sub imperium suum redegisse. Immo vero eodem consilio eos et Euboeae civitates imperio suo subjecisse et Sicilienses tum esse subjecturos. Eadem ratione eos, quum ad depellendos Persas Jonum duces ultro facti essent, Jonum et insularum [2]) civitates vario praetextu imperio suo adjunxisse.

„At non ut Athenienses“, inquit, „incusemus adsumus, sed nos ipsos, quod, quum Graecorum illic ab Atheniensibus in servitutem redactorum exempla nobis ante oculos posita sint atque has eorum artes perspexerimus, quibus Leontinos cognatos se restituturos et Segestanos socios auxilio adjuturos simulant, non conjunctis animis viribusque iis demonstremus nos esse non Jones, non Hellespontios insulanosque, qui mutatis semper tyrannis in servitutem se redigi patiantur, sed Dorienses liberos, oriundos a Peloponneso libera. An vero exspectamus, dum singulae civitates nostrae ab Atheniensibus capiantur, id quod vel maxime agunt?“

Neque Camarinaei, pergit, Syracusanos solos opinarentur ab Atheniensibus peti, non se ipsos; immo non minus pro sua quam pro Syracusanorum salute illis esse decertandum. Quod conjunctis cum Syracusanis viribus eo tutius fieri posse [3]). Nam Athenienses non magis Syracusanorum inimicitias ulcisci habere in animo quam praetexta eorum simultate ditionis suae facere etiam socios [4]).

---

[1]) Thuc. VI. 74. 75. — [2]) Thuc. VI. 76.: *ἡγεμόνες γὰρ γενόμενοι ἑκόντων τῶν τε Ἰώνων καὶ ὅσοι ἀπὸ σφῶν ἦσαν ξύμμαχοι* sq. Quid verbis: *ὅσοι ἀπὸ σφῶν* significetur, interpretes valde inter se discrepant. Non recte Gervinus h. l. adnotasse videtur: „converte freiwillig“. Ita etiam Goellerus interpretatur. Rectius Haackius: „Si Thuc. id dicturus erat, scribere debebat *ἀφ' ἑαυτῶν* (sive *ἀπὸ σφῶν αὐτῶν*, Poppo). Sed id ne potuit quidem scribere, quia jam dixerat *ἑκόντων*, quod ad utrosque et Jones et reliquos pertinet. Accedit quod infra c. 82. Atheniensis orator huc respiciens dicit: *οὐδὲ ἀδίκως καταστρεψάμενοι τούς τε Ἴωνας καὶ νησιώτας, οὓς ξυγγενεῖς φασιν ὄντας ἡμᾶς Συρακόσιοι δεδουλῶσθαι.*“ — Explicanda ea verba sunt: quotquot ab ipsis (Atheniensibus) oriundi socii erant; id quod Portus voluit; cf. Poppo ad l. l. Eodem modo J. Classen h. l. interpretatur l. l. — [3]) Verba Thuc. VI. 78: *τοσούτῳ δὲ καὶ ἀσφαλέστερον, ὅσῳ οὐ προδιεφθαρμένου ἐμοῦ, ἔχων δὲ ξύμμαχον ἐμὲ καὶ οὐκ ἐρῆμον, ἀγωνιεῖται* procul dubio hoc valent: eo autem tutius, quatenus pugnam subibit non oppresso me, sed socio me usus et eo quidem viribus non destituto. Cf. Poppo ad h. l. — [4]) Eum rerum connexum h. l. exspectandum esse nobis quidem est persuasum; qui confirmatur etiam verbis c. 80: *καὶ τῆς νίκης οὐκ ἄλλον τινὰ ἆθλον ἢ τὸν τὴν νίκην παρασχόντα λήψονται*; et in eodem c. paulo infra: *καὶ αἱρεῖσθε ἤδη ἢ τὴν αὐτίκα ἀκινδύνως δουλείαν*; et in c. 83: *καὶ τὰ ἐνθάδε — ἥκειν μετὰ τῶν φίλων ἀσφαλῶς καταστησόμενοι καὶ οὐ δουλωσόμενοι* sq. Quapropter Didotus nostro loco (c. 78) conjecit: *τὴν ἐκείνου δουλείαν οὐχ ἧσσον βεβαιώσασθαι βούλεσθαι.* Qua conjectura neglecta Poppo, cui verba: *τὴν ἐκείνου φιλίαν οὐχ ἧσσον βεβαιώσασθαι βούλεσθαι* et ipsi suspecta videntur, a Thucydide scriptum esse suspicatur: *οὐχ ἧσσον βιάσασθαι.* Rectius tamen J. Classen *βεβαιώσασθαι* tuetur, quum dicit: „Das

Si forte illi vel invidia vel metu permoti optarent ut accideret aliquid Syracusanis, quo modestius se gerere discerent, sed tamen ut superessent sui servandi causa, meminissent neminem potentem esse rerum eventus, atque facile fieri posse, ut male re gesta consilii illos poeniteret. Immo vero illi, quippe qui maxime in periculo versarentur, consociatis revera armis idem facerent, quod, si Athenienses contra Camarinaeos primum profecti essent, a Syracusanis, ut facerent, petivissent.

Neque vero ignavia inducti, quippe qui societatem haberent cum utrisque, neutros juvandos esse existimarent. Quam societatem nimirum ab illis factam esse non ad vim inferendam sociis, sed ad prohibendos hostes; atque ex eo foedere illos debere Atheniensibus auxilium ferre, si iis ab aliis injuriae essent illatae, non si ipsi, ut tum, injurias inferrent aliis. Neve committerent, ut, qui natura essent illorum hostes, eos adjuvarent; qui multo arctiore naturae vinculo cognati essent, ut eos una cum hostibus opprimerent. Id non esse aequum, sed defendere hostium impetum neque timere eorum vires. Neque junctis inter se omnibus Siciliensibus quidquam periculi imminere, sed si, id quod Athenienses vel maxime agitarent, inter se ipsi dissiderent.

Quamobrem neque justum esse neque tutum illorum consilium, ut a bello abessent et neutros adjuvarent; sed cognatos, ab hostibus petitos, adjuvando communem Siciliensium tueri salutem maxime illos decere.

Ita rem esse neque illos neque alios fugere posse; neque adesse se, ut gnaros doceret, sed ut Syracusanorum nomine oraret atque obsecraret, ut consilium suum sequerentur. Quod si illis non esset probatum, testibus illis se usurum esse, quum bello se peti ab Jonibus, semper sibi inimicis, tum ab illis se prodi, Dorienses a Doriensibus. „Atque si, inquit, Athenienses victoriam a nobis reportaverint, vos, quorum opera superiores discesserint, eorum eritis praeda; sin nos victoriam consecuti erimus, iidem vos, quippe qui periculorum nostrorum fueritis auctores, nobis poenam dabitis.“

„Eligite igitur, inquit, aut servitutem, quae in praesens periculorum expers videatur esse, aut reportata nobiscum victoria libertatem et nostram amicitiam.“ [1])

Ita Hermocrates. Quem Euphemus, Atheniensium legatus, in hunc modum excepit: Adesse se renovandae societatis causa, ante cum illis factae; sed quum de imperio Hermocrates Athenienses reprehendisset, demonstrandum quoque sibi esse, jure Athenienses obtinere Jonum imperium.

Maximum quidem ejus rei argumentum ipsum Hermocratem dixisse, quod Jones semper inimici essent Doriensibus. Propterea autem imperium illud se affectasse, ut ipsi, quum Jones essent, Doriensibus Peloponnesiis, et numero civium superioribus et accolis suis, minime essent obnoxii. Atque expulsis Persis classe aedificata Lacedaemoniorum imperio liberatos, se ipsos Jonum, qui ante sub Persarum regis dicione atque imperio fuissent, factos esse duces, ea ratione a Peloponnesiorum imperio se tutissimos futuros esse ratos.

Neque injuria Jones insulanosque cognatos imperio suo se subjecisse, quum ii Persarum regem secuti et ipsi servitutem antetulissent et sibi (Atheniensibus) injungere voluissent. Quare ipsos, quum plurimas naves summumque studium in bellis Persarum Graecis exhibuissent, tum

---

Schicksal, das ihrer wartet, wird durch den ironischen Ausdruck angedeutet: dass die Athener sich zugleich mit der Züchtigung der Syracusier nicht minder ihre Freundschaft (der Kamarinäer) zu sichern wissen würden: nämlich durch völlige Abhängigkeit.“ — [1]) Thuc. VI. 76—81.

dignos esse imperio, quod in socios exercerent, tum maxime sua interesse, ut contra Peloponnesios viribus uterentur satis magnis.

Sed, ut verum diceret, imperium sociorum sese constituisse non tam, ut Jones in libertatem vindicarent, quam ut suae ipsorum saluti consulerent. Quam ut tuerentur, etiam tum in Siciliam se venisse simulque, quod sibi ipsis ex usu esset, idem cognovisse profuturum illis. Nam et imperium illud in Graecia, ut supra esset demonstratum, obtinere se propter metum hostium, et in Siciliam venisse propter eundem metum, ut res ibi cum amicis ita constituerent, ut ipsi tuti essent ab hostibus, non ut Siciliam in servitutem redigerent, immo vero ut prohiberent, quominus ea per alios subigeretur.

Neve quisquam contra diceret nihil pertinere ad Athenienses res Siciliensium, quin contra plurimum eorum interesse, ut illi servata libertate Syracusanis resistere possent atque prohibere, ne Peloponnesii missis auxiliis adjuvarentur. Propter id ipsum autem Leontinos consentaneum esse in patriam restitui, non imperio obnoxios, sicut Chalcidenses Euboicos, sed summa facultate florentes, quo molestiores essent Syracusanis. Ut in Graecia socii viribus destituti nihil nisi pecunias conferrent, ita in Sicilia Leontinos reliquosque socios suos quam potentissimos esse sibi conducere. A tyranno autem vel a republica imperium obtinente nihil alienum esse, quod usui esset, neque quidquam pro certo habendum, nisi quod esset fidum. Etiam sua ex re ibi esse, non sociorum vires debilitari, sed auctis eorum viribus imminui hostes.

Mitterent suspiciones. Nam quum in Graecia sociorum res atque conditionem ex utilitate, quam quisque ipsis afferret, constituissent, ita ut alii plane libera essent conditione, alii imperio suo subditi, etiam Siciliensium res consentaneum esse utilitatis et securitatis ratione habita ipsos velle constituere. Syracusanos, non ipsos, illis esse timendos, quippe qui, quum Athenienses aut vi aut inopia sociorum infecta re domum revertissent, Siciliae essent imperaturi.

Quem timorem justum esse, illos ipsos esse documento, qui antea a se auxilium petivissent, nullum alium timorem sibi injicientes, quam ne et ipsorum Atheniensium res, si illos sub Syracusanorum potestatem redigi passi essent, in discrimen revocarentur. Neque tum esse aequum, quibus verbis, ut auxilio venirent, sibi persuadere studuissent, iisdem illos diffidere atque ipsos, quod majoribus cum copiis adessent, incidere in suspicionem. Immo vero suspicionem injicere Syracusanum.

Neque enim ipsos, desertos ab illis rem obtinere posse, neque, si cum perfidia vim illis intulissent, propter itineris longitudinem et inopiam praesidiorum maximas illas urbes in officio posse retinere. Syracusanos autem vicinos, quorum vires majores essent quam praesentium Atheniensium, multo periculosiores insidias illis et semper parare et tum conari illos adhortari, ut Athenienses, qui usque ad id tempus impedivissent, quominus Sicilienses eorum imperio obnoxii fierent, depellerent.

„Nos, inquit, multo magis saluti vestrae consulimus, quum oramus et obsecramus, ut praesens auxilium nostrum ne repudietis et persuasum habeatis neque unquam vos futuros esse tutos ab eorum insidiis, neque saepe facultatem vobis datum iri tantis auxiliis vos defendendi; quae si repudiaveritis, aliquando vos poenitebit."

„Agitedum, Camarinaei, inquit, nolite, neque vos neque ceteri Sicilienses, aures praebere Syracusanorum criminationibus, sed quod studium nostrum ad multas res aggrediendi vobis quoque usui est, eodem utimini, non omnibus id pariter damno futurum esse rati, sed multo pluribus Graecorum saluti. Nam omnibus locis parati sumus alios defendere ab injuriis, alios quominus injurias inferant deterrere."

„Id praesidium, quod quum omnibus, qui indigent, est commune, tum vobis nunc praesto est, nolite repudiare, sed nobiscum junctis armis invadite in Syracusanos" [1]).

Quibus verbis ab Euphemo factis Camarinaei, quamvis ad Athenienses se inclinarent, praeterquam quod timebant, ne illi in animo haberent universam Siciliam in servitutem redigere, Syracusanis autem propter agri vicinitatem diffiderent, tamen, quum vererentur, ne Syracusani vicini, vel ipsorum auxilio destituti, victoriam reportarent, ut in posterum Syracusanos revera magis adjuvare, ita tum, ne Athenienses minoris facere viderentur, utrisque statuerunt idem dare responsum:

Quum bellum inter eos exortum esset, quorum utrique sibi societate essent juncti, ex foedere se decrevisse, ut tunc quidem neutros adjuvarent.

Quo responso reddito utrorumque legati discesserunt.

Inde Syracusani bellum parabant. Athenienses autem, qui Naxi castra habebant, Siculis persuadebant, ut suam sequerentur amicitiam. Eadem hieme (anni 415. a. Chr. n.) a Naxo castris Catinam translatis ad Carthaginienses triremem miserunt ad eorum amicitiam sibi conciliandam. A quibus nihil impetravisse videntur. Alteram autem triremem ad Etruscos miserunt, quorum nonnullae civitates sua sponte ad eorum societatem se applicaverunt. Denique Siculis Segestanisque imperaverunt, ut quam plurimos sibi equos mitterent et, quaecunque ad obsidionem opus essent, compararent; primo enim vere sibi in animo esse Syracusas oppugnare.

Quae res dum in Sicilia geruntur, legati a Syracusanis missi Corinthum advenerunt, qui auxilium rogarent. Et Corinthii, libentissime auxilium polliciti, et ipsi cum illis legatos Spartam miserunt, qui Lacedaemoniis persuaderent, ut et illic res contra Athenienses summa vi gererent et in Siciliam auxilia mitterent.

Eodem autem tempore Alcibiades, quum Thuriis ex Atheniensium manibus effugisset, Spartam pervenerat. Qui, qua erat eloquentiae vi, quum Lacedaemoniorum magistratus in animo habuissent, legatione missa prohibere, ne Syracusani cum Atheniensibus paciscerentur, non mittere auxilia, in conventu Lacedaemoniis persuasit, ut statim Syracusanos auxiliis juvarent. Ita factum est, ut Gylippus, Cleandridae filius, Syracusanis dux adderetur. Qui Corinthios statim duas naves jussit Asinen sibi mittere, ceteras, quae ut in Siciliam proficiscerentur statuissent, comparare. Quibus rebus constitutis legati Sparta discesserunt [2]).

Nicias autem, quum compluribus expeditionibus primo vere anni insequentis in Sicilienses factis Catinam revertisset, auxilia invenit ab Atheniensibus missa [3]).

Quae quum Syracusani adventasse audivissent, nisi per Epipolas, rupes supra Syracusas urbem sitas, aditum hostibus ad impetum in urbem faciendum non futurum esse rati, rupium

[1]) Thuc. VI. 82—88. — [2]) Thuc. VI. 88. 93. Diod. XIII. 7. — [3]) Thuc. VI. 94. Diod. l. l.

illarum aditus praesidiis collocatis custodire statuerunt. Quare quum eodem tempore Hermocrates
ceterique duces, quos ad administrandum id bellum creatos esse demonstravimus, munus iniissent,
universas copias prima luce in pratum ad sinistram Anapi fluvii ripam situm [1]) eduxerunt, ubi
lustrarentur, simulque sexcentos gravis armaturae milites ibi delegerunt, qui duce Diomilo, exsule
Andrio, et Epipolas tuerentur et, si quid praeterea accidisset, quam celerrime coacti adessent.
Eodem autem die Athenienses, mane exercitu recensito Catina classe profecti, omnibus
cum copiis ad Leontem qui dicitur [2]) locum, ab Epipolis sex septemve stadiis distantem, egressi
sunt. Classis paululum revecta ad Thapsum paeninsulam in ancoris constitit. Pedites autem
quum statim Epipolas petivissent, Euryalum tumulum [3]) ceperunt, priusquam Syracusani re cognita
ex prato illo adessent. Tum vero Syracusani quam celerrime accurrunt. Confecto viginti quinque
stadiorum itinere quum incompositi cum hoste manus conseruissent, ad Epipolas proelio victi in
urbem recesserunt. Diomilus et circiter trecenti alii ciderunt [4]).
Quo facto Athenienses quum tropaeo posito Syracusanis ex indutiis caesos tradidissent,
postero die ad ipsam urbem versus paululum descenderunt et nullo resistente in Labdalo, alta
Epipolarum rupe, castellum aedificaverunt, ad Megaram Hyblaeam spectans, ut firmius haberent
refugium.
Neque multo post Athenienses equitibus per Segestanos, Siculos, Naxios, alios auctis, ut
omnino equites essent sexcenti quinquaginta, relicto in Labdalo praesidio ad Sycam (Συκῆν [5]) acces-
serunt, ubi quum consedissent, murum in orbis similitudinem circumactum [6]) celerrime exstruxerunt.
Et Syracusani, mirati opus tanta celeritate confectum, jam proelium committere in animo habebant.
Copiis autem in aciem eductis Syracusanorum duces, quum exercitum suum dissipatum esse
vidissent neque facile contrahi posse, in urbem reduxerunt relicta equitum parte. Qui hostium

[1]) Cf. Goeller. de situ et orig. Syracusarum XXIII. et Poppo ad Thuc. VI. 96. — [2]) „medio circiter itinere a
Thapso ad Santam Pantagiam ferente“, Arnold. apud Popp ad Thuc. VI. 97. — [3]) Liv. XXV. 25: „Tumulus
est in extrema parte urbis versus a mari viaeque imminens ferenti in agros mediterraneaque insulae, percom-
mode situs ad commeatus excipiendos.“ Cf. Goeller. l. l. p. 56: „Est in extrema rupe, in qua Syracusas esse sitas
innuimus, tumulus sive collis, qui hodie Belvedere dicitur, unde omnis urbs et vicinus ager inspicitur.“ —
[4]) Huc fortasse pertinent, quae Polyaenus in strat. l. I. 43. 1. de dolo Hermocratis narravit: Ἑρμοκράτης
τῶν ἐν Συρακούσαις ἐπαναστάντων, καὶ χειρὸς πολλῆς οἰκετικῆς ἠθροισμένης, πρὸς τὸν ἡγούμενον
αὐτῶν Σωσίστρατον ἔπεμψε πρεσβευτὴν, ἕνα τῶν ἱππάρχων Δαΐμαχον, ὃς ἦν αὐτῷ συνήθης καὶ
φίλος, ἀγγέλλοντα τὰ παρὰ τῶν στρατηγῶν· ὡς ἄρα τὸ φρόνημα αὐτοῦ θαυμάζοντες, πάντας μὲν
ἐλευθέρους ἀφίασι, πάντας δὲ ὁπλιοῦσι, καὶ σιτηρέσιον δώσουσι τὸ ἴσον· αὐτὸν δὲ τὸν Σωσίστρατον
συνάρχοντα ἀποφαίνουσι, καὶ ἤδη γε ἥκειν βουλευσόμενον μετὰ τῶν στρατηγῶν, ὅσα τὸ πολιτικὸν
κατεπείγοι. Ὁ δὲ Σωσίστρατος τῇ φιλίᾳ τοῦ Δαϊμάχου πιστεύσας παραλαβὼν εἴκοσι τοὺς ἡγεμο-
νικωτάτους τῶν δούλων, ἧκε πρὸς αὐτούς· οὗτοι μὲν συλληφθέντες ἐδέθησαν· Ἑρμοκράτης δὲ μετὰ
ἑξακισχιλίων ὁπλιτῶν ἐξελθὼν, καὶ τοὺς δούλους λαβὼν, ὤμοσεν, ἦ μὴν μηδὲν αὐτοῖς δεινὸν ἂν
γενέσθαι, πρὸς τὸν αὑτοῦ δεσπότην ἕκαστος εἰ ἐπανέλθοι· πεισθέντες δὲ ἐπανῆλθον· ὅτι μὴ μόνον
τριακόσιοι πρὸς Ἀθηναίους ηὐτομόλησαν. — [5]) Thuc. VI. 98: ἐχώρουν πρὸς τὴν Συκῆν οἱ Ἀθηναῖοι
sq. De hac scriptura Συκῆν magna virorum doctorum est controversia; cf. Poppo ad h. l., Goeller. de situ Syracus. XIX.
Grote (l. l. IV. p. 701.) scripturam Συκῆν tuetur; quae interpretatio a Stephano Byzantio petita videtur, qui
„Συκῆν locum prope Syracusas esse dicit, conjungens cum compluribus ejusdem nominis locis variarum regionum,
quibus omnibus a ficorum proximae viciniae abundantia appellatis nihil prorsus rei est cum templo Fortunae.“ Arnold.
in adnot. apud Popp. ad h. l. cf J. Classen ad h. l. — [6]) „The circular wall, the circular fortification Hobb. inter-
pretari solet“ Poppo ad h. l.

impetum sustinentes iis impedimento erant, quominus lapides asportarent et latius circumvagarentur. Tum vero Atheniensium una militum gravis armaturae tribus cum omnibus equitibus in equites Syracusanos erumpentes in fugam eos conjecerunt et caesis nonnullis tropaeum statuerunt.

Postero autem die Athenienses ab illa circummunitione (κύκλῳ) murum ad septentriones spectantem ad Trogilum, qui dicitur, versus aedificabant. Syracusanis vero, quum inprimis Hermocrate auctore proeliis cum hostibus committendis supersedere constituissent, murum transversum placuit exstruere, qui murum illum, quem Athenienses a circummunitione ad magni portus ripam ducturi essent, interciperet. Quare egressi infra communitionem hostium, ab urbe initio facto, murum transversum exstruebant. Ad erigendas in eo turres ligneas agri Apollinis Temenitae sacri oleas exciderunt.

Quem murum quin conficerent quum Athenienses eos non impedivissent, Syracusani relicta custodia in urbem se receperunt. Athenienses autem aquaeductu, quo aqua potulenta ad urbem ducebatur, deleto tempus atque occasionem doli quaerunt et, quum reliqui Syracusani meridiano tempore in tentoriis essent, alii etiam in urbem discessissent, alii custodiae neglegentiores essent, delectos trecentos milites atque nonnullos levis armaturae, thoracibus instructos, subito ad murum illum erumpere jubent. Quum reliqui exercitus altera pars ad urbem accederet, altera ad propugnaculum, prope Temenitae portum situm, trecenti illi vallum occupant.

Syracusani autem, qui ibi in custodia erant, ad murum fugiunt, circa Temenitae templum ductum. Una cum iis irrumpentes hostes a Syracusanis per vim ejiciuntur. Qua in pugna Argivi nonnulli et pauci Athenienses caesi sunt. Tum vero universus eorum exercitus, ubi paulum se recepit, murum transversum evertit et tropaeum ponit.

Postridie autem Athenienses a circummunitione sua profecti rupem illam Epipolarum, supra paludem sitam, quae ad magnum portum spectabat, munire coeperunt, unde via brevissima per loca demissa et palustria munitiones perpetuas ad magnum portum efficere moliebantur.

Syracusani autem et ipsi, ab urbe orsi, iterum murum per mediam paludem usque ad Anapum fluvium [1]) exstruxerunt, simulque fossam praeduxerunt, ut Athenienses impedirent, quominus munitionibus ad magnum portum productis urbem circumcluderent.

Sed Athenienses rupe munita murum fossamque Syracusanorum aggredi parant. Navibus jussis a Thapso paeninsula ad magnum portum circumvehi, ipsi sub diluculum ab Epipolis in planitiem descendunt et, quum loca palustria assibus subjectis transiissent, prima luce murum fossamque capiunt.

Jam vero pugna commissa Athenienses victoriam reportant. Syracusani autem, qui in dextro cornu collocati erant, ad urbem fugiunt; qui in sinistro cornu erant, juxta fluvium. Quos ut a transitu intercluderent Atheniensium trecenti illi cursu concitati ad pontem accurrunt. Quo metu perculsi Syracusani, quorum equites plerique ibi constiterant, cum illis manus conserunt atque repulsos in dextrum Atheniensium cornu rejiciunt, ita ut primum eorum agmen simul perturbaretur.

Quod ubi Lamachus vidit, a sinistro cornu cum sagittariis paucis atque Argivis auxilio

[1]) Cf. Grote l. l. IV. p. 196.

venit. Fossa cum paucis trajecta, quum a suis longius esset remotus, et ipse cum Callicrate quodam, equite Syracusano, fortiter pugnans [1]) occisus est et sex milites ejus. Quos quum Syracusani quam celerrime trans fluvium rapuissent, reliquo Atheniensium exercitu appropinquante sese receperunt.

Sed quum confirmatis denuo animis in circummunitionem Atheniensium in Epipolis sitam frustra impetum fecissent et hostium classis in magnum portum esset invecta, Syracusanorum copiae omnes de rebus suis desperantes in urbem redierunt.

Quo facto Athenienses redditis invicem caesis, quum omnes copiae et classis et exercitus adessent, a praeruptis Epipolarum partibus usque ad magnum portum Syracusanos duplici muro incluserunt. Quare Athenienses, quum undique ab Italiae civitatibus commeatibus, a Siculis Italisque auxiliis juvarentur, jam in magnam spem venerint rei bene gerendae. Namque ipsi Syracusani, quum ne a Peloponnesiis quidem auxilia advenissent, de victoria desperantes, jam et inter se de pace loquebantur et ad Niciam legatos mittebant. Pax quidem non convenit; sed propter res male gestas et sibi ipsi et ducibus diffisi, quum eorum aut adversa fortuna aut proditione se affictari opinarentur, Hermocrati reliquisque ducibus imperio abrogato alios creaverunt duces, Heraclidam, Euclem, Tellium [2]).

In magna igitur calamitate tunc res Syracusanorum erant, quum Gylippi Spartiatae adventu denuo animi iis additi sunt. Qui quum Labdalo castello capto novas munitiones perpetuas ab Euryalo per Epipolas usque ad urbis murum ad septentriones spectantem exstruxisset, quibus Athenienses impedirentur, quominus opera sua a circummunitione ad oram maritimam Trogilo vicinam ducerent, pugnandi facultate data in Athenienses impetum fecit. Eo quidem proelio victus est. Paulo post autem altero proelio commisso, quum Atheniensium maxime interesset, ne Syracusanorum operibus perfectis suae munitiones interciperentur, Athenienses victi ad munitiones suas se receperunt.

Quo facto quum Syracusanorum copiae adventu duodecim navium a Corinthiis, Ambraciensibus, Leucadiis missarum auctae essent, Gylippus ceteras Siciliae partes peragravit, ut et navales terrestresque copias cogeret et eos Sicilienses, qui usque ad id tempus a bello afuerant, socios sibi adsisceret. Praeterea legati Syracusanorum Corinthiorumque Lacedaemonem et Corinthum missi sunt, qui, quum Athenienses quoque denuo auxilia ex Graecia arcesserent, peterent ut quoquo modo majores copiae transportarentur [3]).

Jam vero Syracusani ad classem ornandam complendamque se applicaverunt, ut etiam mari hostes aggrederentur. Primo autem anni 413 a. Chr. n. vere (Ol. 91. 3.), eodem fere tempore, quo Lacedaemonii duce Agide rege, Archidami filio, in Atticam ingressi Deceleam muniebant et Demosthenes e Piraeeo cum sexaginta quinque navibus evectus est, ut Niciae auxilium ferret [4]), Gylippus undique coacto quam maximo exercitu Syracusas rediit. Ubi concilio vocato

[1]) Diodorus (XIII. 8.) perperam Lamachum post Gylippi adventum occisum esse narrat; quem sequitur Justinus (IV. 4); cf. Poppo ad Thuc. VI. 101. Grote l. l. p. 197. Plut. Nic. 18. — [2]) Thuc. VI. 96—103. Heraclides idem esse non potest, qui c. 73. nominatus est, Lysimachi filius, ut Schneid. ad Xen. H. G. I. 2. 8. vult; sed ex eodem Xen. loco conjicere licet Aristogenis esse filium, collegam Euclis, Hipponis filii, ut recte adnotat Poppo ad h. l. cf. J. Classen ad h. l. — [3]) Thuc. VI. 104. VII. 1—7. Diod. XIII. 8. Plut. Nic. 19. Grote l. l. IV. p. 210. sq. et 704. sq. et Syracusarum tabula II. — [4]) Thuc. VII. 19. 20.

Syracusanos adhortatus est, ut naves quam plurimas possent militibus complerent et pugnae navalis committendae facerent periculum: sperare enim se fore ut, si ad id animos advertissent, res bene gereretur.

Neque vero minime omnium Hermocrates illis persuadebat, ut navibus Athenienses aggredi auderent, quum diceret, eos peritiam rerum navalium neque a patribus acceptam neque perpetuam habere, sed magis quam Syracusanos incolas esse terrae continentis et a Persis demum coactos, ut ad res navales se applicarent. Hominibus autem audacibus, quales essent Athenienses, eos qui et ipsi audacia uterentur, maximum incutere solere terrorem. Sicuti enim Athenienses interdum non, quod viribus plus valerent, sed quod cum audacia invaderent, hostibus terrori essent, ita audacia Syracusanos iis eundem terrorem posse injicere. „Proinde", inquit, „adorimini eorum naves; jam eo impetu ex inopinato facto plus commodi efficietis quam illi majore rerum navalium scientia vobis inferent detrimentum."

Itaque Syracusani Gylippo, Hermocrate, aliis auctoribus pugnam navalem committere parant navesque complent.

Navali quidem pugna ad magni portus introitum commissa Syracusani undecim navibus amissis victi sunt. Eodem autem tempore, quo Syracusani navibus decertaturi erant, Gylippus impetum in tria castella, a Nicia in Plemmyrio promontorio exstructa [1]), quibus commeatus mari facilius supportarentur, facere parabat. Sub noctem enim quum omnes pedites per Epipolas atque superato Anapo fluvio per campum, prope Olympieum situm, adduxisset, Plemmyrio appropinquavit. Jam vero, dum navium certamen conseritur atque Athenienses, qui castellis praesidio erant, ad oram maritimam descendunt ad spectandum certamen navale, Gylippus prima luce castella illa adortus primum maximum, deinde etiam duo minora expugnat. Destructo uno ex minoribus reliqua reficit ac praesidium imponit.

Qua majorem calamitatem Athenienses usque ad id tempus acceperant nullam. Plurimis enim bonis copiisque varii generis amissis commeatu mari subvehendo a Syracusanis, magni portus introitum custodientibus, intercludebantur, ita ut animo fere deficerent.

Syracusani autem variis detrimentis Atheniensibus illatis legatos in Peloponnesum mittunt, qui res suas in magna spe esse nuntiarent atque hortarentur, ut bellum illic majore vi gereretur. Etiam ad ceteras Siciliae civitates et Corinthios et Ambracienses et Lacedaemonios legatos miserunt, qui et Plemmyrium captum esse et de reliquo belli eventu bene se sperare eas docerent atque, quum Athenienses quoque nova auxilia exspectarent, peterent, ut et navibus et peditatu se adjuvarent [2]).

Quibus legatis omnibus locis benigne receptis omnes Siciliae civitates Graecae, praeter Agrigentinos, qui a bello aberant et neutros adjuvabant, et Naxios et Catinenses, Syracusanis et navales et terrestres copias auxilio mittere statuerunt. Qui Siciliensium exercitus dum ducibus legatis per mediam insulam Syracusas proficiscitur, auctore Nicia insidiis structis a Siculis oppressus funditur. Octingentis caesis etiam legati omnes trucidati sunt praeter Corinthium, qui reliquos milites, circiter mille quingentos, Syracusas duxit. Qua calamitate perterriti Syracusani

[1]) Thuc. VII. 4. — [2]) Thuc. VII. 21—25. Diod. XIII. 9. Plut. Nic. 20.

impetum, quem statim post Siciliensium adventum in Athenienses fuerant facturi, in longiorem diem distulerunt [1].

Sed ubi auxilia ab Atheniensibus in Siciliam missa prope Rhegium esse cognoverunt, jam ante eorum adventum Athenienses terra marique aggredi constituerunt [2]. Maxime Aristonis Corinthii, Pyrrhichi filii, consilio Syracusani pugna navali per biduum commissa altero die ab Atheniensibus victoriam reportaverunt. Septem Atheniensium naves depressae, multae afflictae sunt; hominum autem partim occisi partim capti sunt.

Tum vero Syracusani in magna erant spe fore ut et mari superiores essent et terrestres hostium copias brevi superarent. Jamque parabant terra marique denuo impetum in hostes facere, quum classis septuaginta trium fere navium, cui Demosthenes praefectus erat, cum quinque milibus gravis armaturae militum magnoque jaculatorum et funditorum et sagittariorum numero atque cum cetero apparatu in magnum Syracusanorum portum decurrit.

Qua classe conspecta Syracusani valde perturbati, Athenienses in novam spem sunt adducti [3].

Demosthenes autem primo die se formidolosissimum hostibus futurum esse ratus, praesenti Syracusanorum terrore utendum esse censuit ad rem bene gerendam. Quare quum munitiones, quas Gylippo auctore inde ab urbe per Epipolas usque ad Euryalum tumulum ab illis exstructas fuisse supra demonstravimus [4], simplices esse cognovisset, eas statim temptare statuit. Ac primum quidem exercitu educto agros circa Anapum fluvium devastavit, Syracusanis non resistentibus, praeterquam quod equites et hastati ab Olympieo accesserunt observatum, quid rei gereretur.

Quo facto Demosthenes munitiones illas a fronte machinis aggredi ausus est. Sed quum Syracusani incensis machinis hostes depulissent, ille nihil cunctatus, consentientibus Nicia ceterisque ducibus, noctu in Epipolas impetum facere paravit.

Omnibus rebus, quibus opus erat, comparatis quum milites jussisset commeatum quinque dierum secum ferre, Nicia in castris relicto, ipse Demosthenes et Eurymedon et Menander cum universo exercitu in Epipolas prima nocte ascendunt. Quum ad Euryalum pervenissent et custodias Syracusanorum ibi dispositas fefellissent, primum eorum castellum, ad Epipolarum introitum exstructum [5], nonnullis ex praesidio caesis expugnarunt.

Plerique autem eorum statim ad tria castra fugiunt, post munitiones illas a Gylippo factas posita, quid gereretur, indicantes inprimis delectis Syracusanorum sexcentis, quibus Hermocrates praeerat [6], in primo propugnaculo illic collocatis. Qui statim accurrunt, sed a Demosthene et Atheniensibus, quamvis fortiter resisterent, repelluntur.

Itaque dum Demosthenes cum suis, ut primo impetu rem conficeret, protinus procedit, alii Atheniensium priore munitionis parte capta loricas convellebant. Tum vero Hermocrates cum

---

1) Thuc. VII. 32. 33. — 2) Thuc. VII. 36. — 3) Thuc. VII. 36—42. Plut. Nic. 21. Diod. XIII. 10. 11. „Decem et trecentas habuisse triremes Diodorus scribit, qui vel Librarii vel ipsius Diodori est error." Huds. „Pro πλείους τῶν τριακοσίων δέκα Eichstadius edidit apud Diod. πλείους τῶν ὀγδοήκοντα." Hertl. ad Thuc. VII. 42. Cf. Poppo ad h. l. — 4) Cf. p. 16. — 5) „in ipso summo montis fastigio, in eodem loco aut prope eum, ubi Athenienses prius Labdalum muniverant." Arn. ap. Popp. ad Thuc. VII. 43. — 6) Diod. XIII. 11: ἔτι δὲ Ἑρμοκράτους μετὰ τῶν ἐπιλέκτων ἐπιβοηθήσαντος ἐξεώσθησαν οἱ Ἀθηναῖοι sq.

Syracusanis et socii et Gylippus cum suis ex propugnaculis hostibus obviam proficiscuntur. Sed quum nocturno illorum impetu perterriti pugnam conseruissent, initio quidem loco cesserunt. Athenienses vero quum, quasi jam nacti essent victoriam, ordinibus non servatis procederent et omnem hostium exercitum, qui usque ad id tempus a certamine afuerat, quam celerrime perrumpere conarentur, ne perturbatis Syracusanis sui colligendi facultas daretur, Boeotii primi impetum eorum sustinuerunt atque signis illatis hostes in fugam converterunt [1].

Jam vero summa Atheniensium perturbatio atque clades facta est. In proelio nocturno, quamquam luna plena erat, neque amici neque hostes discerni poterant. Pulsi et ad suos rejecti saepenumero pro hostibus habentur et a suis trucidantur. Praeterea signo pugnae maximeque clamore bellico decepti, quum Doriensium, qui in Atheniensium exercitu erant, clamor idem fere esset ac Syracusanorum, omnes in fugam conjecti sunt. Quos quum Syracusani persequerentur, plurimi propter viarum praeruptarum angustias abjectis armis ex rupibus se praecipitaverunt. Quorum quum magna pars periisset, alii, qui a via aberraverant, postero die ab equitibus Syracusanorum occisi essent, reliqui in castra munitionesque suas se receperunt.

Postero autem die Syracusani, inexspectata ea victoria exsultantes, duo tropaea posuerunt, alterum, ubi in Epipolas ascenditur, alterum eo loco, ubi Boeotii primum hostibus restiterant. Qua victoria denuo confirmati, ut antea fuerant, sperabant fore ut etiam munitiones hostium vi expugnarent. Quam ob rem Gylippum iterum ad Siciliae civitates miserunt, qui nova auxilia adduceret; Sicanum autem cum quindecim navibus Agrigentum evehi jusserunt, discordiis civilibus tum perturbatum, ut, si fieri posset, eam urbem in potestatem suam redigeret [2].

Quid Athenienses clade tam gravi accepta de rebus suis inter se consultaverint, fusius narrare hujus loci non est. Satis constat, quamquam Demosthenes censuerat, ut jam nulla mora interposita, quamdiu navibus superiores possent, domum redirent, e republica id magis esse ratus, quam in tam difficili Syracusarum oppugnatione permanere, tamen Niciae cunctatione et dubitatione Athenienses detrusos esse in extremum discrimen [3].

Denique Athenienses duobus atrocissimis proeliis navalibus devicti proxima nocte abire decreverunt. Tum vero Demosthenes Niciae persuasit, ut completis reliquis navibus prima luce per magnum portum classe perrumperent. Qua re comprobata nautae, cladibus perterriti, rebus suis desperatis in naves se conscensuros esse negaverunt. Quo factum est, ut terra se recipere omnes molirentur [4].

---

1) Thuc. VII. 42. 43. Diod. XIII. 11. Plut. Nic. 21. In describenda ea pugna inprimis, ut par est, Thucydidem secuti sumus. Sed Hermocrati, cujus apud Thucydidem h. l. mentio facta est nulla, eum locum dedimus, quem in ea pugna obtinuisse illum verisimile est. Diodoro si fides haberi posset, inprimis Hermocratis virtute Athenienses victos esse putares, id quod fidem videtur excedere. Cf. Grote l. l. p. 234 in adnot. 35: „Diodor sagt uns, Demosthenes habe 10000 Hopliten und 10000 Mann leichte Truppen mit sich genommen, Zahlen, welche ganz und gar nicht zuverlässig sind (XIII. 11.). Plutarch sagt (Nic. 21), Nikias sei dem Angriff auf Epipolä ausserordentlich abgeneigt gewesen. Thukydides erwähnt nichts Derartiges, und die Angabe scheint unwahrscheinlich." Id. p. 237 in adn. 39: „Plutarch (l. l.) gibt an, dass die Zahl der Erschlagenen 2000 betragen habe. Diodor (l. l.) sagt, es seien 2500 gewesen. Thukydides erwähnt die Zahl ganz und gar nicht. Diese beiden Autoren copierten wahrscheinlich irgend eine gemeinschaftliche Autorität, nicht Thukydides, vielleicht Philistos." — 2) Thuc. VII. 44—46. Diod. l. l. — 3) Thuc. VII. 47—49. — 4) Thuc. VII. 50—72. Diod. XIII. 12—18. Plut. Nic. 22—25.

Sed Hermocrates, quae Athenienses exsequi in animo haberent, suspicatus, quum magno cum periculo Siciliae futurum esse existimaret, ut tantae copiae terra se recipientes alia Siciliae parte occupata denuo sibi bellum inferrent, statim magistratus adiit, ne illos nocte discedere paterentur, sed ut et Syracusanos omnes et socios jam egredi juberent, qui vias obstruerent et angustias locorum praeoccuparent. Qui quamquam comprobato ejus consilio et ipsi id faciendum esse persuasum habuerunt, tamen fieri posse negaverunt, ut milites, ex magna illa pugna navali se recreantes, praesertim quum eodem die Herculi sacra fierent, facile parati essent ad obsequendum; elatos enim victoriae laetitia in potationes incumbere festo illo die et omnia potius facere malle quam captis armis tum proficisci.

Quare quum magistratibus persuadere non potuisset, ipse veritus, ne Athenienses proxima nocte per otium angustias locorum superarent, hoc dolo utitur. Ex suis quosdam cum equitibus nonnullis ad Atheniensium castra sub noctem mittit. Qui adequitantes, quatenus quis exaudiri posset, quum nonnullos ad colloquium vocassent, ex Atheniensium amicis se esse simulantes, qui Niciae, quae apud se gererentur, renuntiare consuevissent, eos jusserunt monere Niciam, ne, quum viae praesidiis Syracusanorum tenerentur, hac nocte exercitum abduceret, sed ut postero die omnibus rebus comparatis per otium discederet.

Quae quum illi dixissent, reverterunt. Qua re cognita Atheniensium duces, insidias sibi non parari rati ea nocte castra non movent [1]). Atque quoniam non statim profecti erant, etiam posterum diem iis placuit morari, ut milites collectis rebus ad usum cotidianum et ad corpora curanda maxime necessariis ceterisque relictis iter facerent.

Interea autem Syracusani et Gylippus peditatu egressi vias earum regionum, per quas Athenienses iter facturos esse verisimile erat, operibus obstruebant et praesidiis ad rivorum fluviorumque transitus dispositis ad hostes excipiendos atque impediendos, ubi videbatur, aciem instituebant. Simulque navibus advecti hostium naves (paucas enim ipsi Athenienses ante combusserant) a litore abstractas ceterasque, ubicunque inveniebantur, nullo resistente remulco ad urbem trahebant.

Tertio tandem die post pugnam illam navalem omnibus rebus constitutis Nicias et Demosthenes cum quadraginta fere milibus militum discesserunt [2]).

Constat quarto itineris illius miseriarum pleni die Demosthenem cum sex milibus in oliveto Polyzelio [3]), sexto demum die Niciam eosque, qui de exercitu ejus supererant, ad Assinarum fluvium a Syracusanis esse captos [4]). Quos ad septem milium numerum redactos Syracusani captivos in urbem suam reduxerunt [5]).

Postero autem die concilio convocato Syracusani sociique, quid in captivos statuendum esset, deliberaverunt. Magna de ea re facta est controversia. Nam Gylippus, optimo id officiorum suorum sibi praemio futurum esse ratus, rogavit ut sibi liceret et reliquos Athenienses et duces,

[1]) Thuc. VII, 73. Diod. XIII. 18., „qui falsam ejus rei causam affert" (ut adnotavit Poppo ad Thuc. l. l.): Οὐ πειθομένων δὲ τῶν στρατηγῶν διὰ τὸ πολλοὺς μὲν τραυματίας εἶναι τῶν στρατιωτῶν, πάντας δ' ὑπὸ τῆς μάχης κατακόπους ὑπάρχειν τοῖς σώμασιν, ἀπέστειλέ τινας sq. „Cum Thucydide conspirant" (ut idem ait Poppo) „Plut. (Nic. 26.), Polyaen. (Strat. I. 43. 2.), Frontin. (II. 9.)." — [2]) Thuc. VII., 74. 75. Diod. XIII. 18. 19. Plut. Nic. 26. — [3]) Plut. Nic. 27: περὶ τὴν Πολυζήλειον αὐλήν. — [4]) Circa diem 21. mensis Septembris a. 413. a. Chr. n.; cf. Grote l. l. p. 264 et 268. — [5]) Thuc. VII. 82—87.

Niciam et Demosthenem, captivos Lacedaemonem secum reducere. Vetuerunt autem Syracusani et Corinthii [1]). Nec Hermocrates non deprecatus est, ne gravius quid in miseros illos statuerent, quum diceret: pulchrius quam vincere esse victoria bene atque humane uti. Sed nihil effecerunt. Placitum est, ut reliqui Athenienses sociique eorum in lautumias contruderentur, Nicias et Demosthenes afficerentur supplicio.

Hermocrates autem, quum capitis periculo eos liberari non posse intellexisset, etiam dum Syracusani deliberant, misso custodum suorum aliquo illis facultatem dedit ad mortem sibi ipsis consciscendam. Corpora autem ducum necatorum extra portas urbis conspectui civium exposita sunt [2]).

Is tristis fuit exitus expeditionis illius ab Atheniensibus in Siciliam factae, in qua et maximos sumptus et optimam spem posuerant. Quibus calamitatibus afflictae res Atheniensium in summa erant difficultate. Quam ut augerent, undique hostes coorti sunt. Neque vero socii Atheniensium in fide manserunt: Euboici, Lesbii, Chii deficere parabant. Denique et Tissaphernes et Pharnabazus, Persarum regis satrapae, legatis Spartam missis Lacedaemonios hortati sunt, ut cum Dareo, Persarum rege, foedus icerent ad Athenienses in Asia bello persequendos, stipendium commeatumque Lacedaemoniorum nautis se daturos esse polliciti.

Nec tamen Athenienses animo defecerunt. Ubi nuntius Athenas allatus est Chios defecisse, veriti, ne reliqui quoque socii eos sequerentur, statim decreverunt, ut mille talenta illa, jam primo belli anno in aerario deposita [3]), in belli usum adhiberentur. Classe comparata atque ornata Samum et Lesbum insulas in potestatem suam denuo redegerunt. Clazomenis autem recuperatis a Lade insula in agrum Milesium egressi paucas Lacedaemoniorum copias, Chalcideo duce accurrentes, vicerunt, quo in proelio Chalcideus cecidit. Tertio tamen die, quum propter paucitatem militum Miletum ipsam aggredi non potuissent, se receperunt.

Itaque re bene gesta etiam Chiis bellum intulerunt. Qui quum tribus proeliis devicti essent, in urbe sua se tenebant. Jam quum agris devastatis terra marique se circumventos esse vidissent, Astyocho, Lacedaemoniorum duce, cum quattuor navibus ab Erythris arcessito, quominus insula ad Athenienses rediret impediverunt.

Quae res dum illic geruntur, sub finem aestatis anni 412 a. Chr. n. (Ol. 91. 4) Atheniensium classis duodequinquaginta navium, cui Phrynichus, Onomacles, Scironides praeerant, cum duobus milibus quingentis gravis armaturae militibus (ex quibus mille quingenti Argivi erant) et mille

[1]) Thuc. VII. 86. — [2]) Plut. Nic. 28: ὅτι τοῦ νικᾶν κρεῖττόν ἐστι τὸ καλῶς χρῆσθαι τῇ νίκῃ; cf. Diod. XIII. 19. Goeller. (Philisti hist. fragm. p. 169.) in Plut. l. l. recte scripsit παρέντος pro παρέντων. Recte Grote l. l. p. 267. in adnot. 110.: „Die Angabe, welche Plutarch hier vom Timäos in Bezug auf die Verwendung des Hermokrates entlehnt, ist mit Philistos und Thukydides keineswegs wesentlich im Widerspruche. Das Wort κελευσθέντας scheint entschieden dem Worte κατελευσθέντας im Texte des Plutarch vorzuziehen zu sein." — W. Mitford. in Graeciae hist. (IV. p. 216. translationis ab Eichstaedtio conscr.) Plutarchi locum, quem laudavimus (Nic. c. 28. finem), falso interpretatus est. — Cf. Grote l. l. p. 266. in adnot. 107.: „Diodor (XIII. 20—32) gibt zwei lange Reden, von denen er sagt, dass sie in der Syrakus. Versammlung bei der Berathung, wie die Gefangenen zu behandeln, gehalten worden seien. Ein alter Bürger, Namens Nikolaos, der seine beiden Söhne im Kriege verloren hatte, wird menschliche Behandlung bevorwortend dargestellt; während Gylippos als der Redner eingeführt wird, welcher Härte und Rache empfiehlt. Wem Diodor dies entlehnte, weiss ich nicht; seine ganze Nachricht über die Sache scheint mir aber nicht zutrauenswürdig" sq. — [3]) Thuc. II. 24.

sociis Samum advenit. Inde autem statim profecti ad Miletum castra fecerunt. Sed Milesii cum Peloponnesiorum sociis atque nonnullis copiis conductitiis, quibus Tissaphernes praeerat, eruptione facta proelium commiserunt. Pulsi autem in urbem suam recesserunt. Jam vero Athenienses Miletum ipsam oppugnare parabant, quum eodem vespere nuntius allatus est Peloponnesiorum et Siciliensium classem quinquaginta quinque navium jamjam adventare [1]).

Hermocrate enim Syracusano imprimis auctore, ut Peloponnesios adjuvarent ad res Atheniensium plane evertendas, Syracusani viginti naves, Selinuntii duas Lacedaemoniis auxilio miserunt [2]). Atque eas naves, quibus Hermocrates praefectus erat, cum triginta tribus Peloponnesiacis conjunctas Theramenes Lacedaemonius Astyocho, Lacedaemoniorum classis praefecto, tradere jussus erat. Quae classis primum quum ad Lerum insulam, ante Miletum sitam, appulisset, cognito Athenienses ad Miletum consedisse, inde in sinum Jasium evecta est, ut, quae ad Miletum gererentur, explorarent. Ab Alcibiade autem, qui Mileto Tichiussam, in urbem in agro Milesio ad sinum illum sitam, ubi classis pernoctaverat, equo vectus erat, de proelio illo ad Miletum commisso certiores facti sunt. Atque is illos hortatus est, ut quam celerrime possent Milesiis auxilio venirent neve urbem ab hostibus circumveniri paterentur.

Quare Lacedaemonii prima luce Milesiis auxilio venire in animo habebant. Sed Athenienses quum classem Lacedaemoniorum in sinu Jasio constitisse comperissent, Phrynichi, praefecti classis, consilio eodem vespere Mileto profecti Samum redierunt. Lacedaemonii autem prima luce Tichiussa evecti Miletum navigant, ubi quum Athenienses discessisse cognovissent, unum diem morati receptis navibus Chiis, quae usque ad id tempus ab Atheniensibus ad Ladam insulam inclusae fuerant, Tichiussam reverterunt, ubi armamenta illic deposita reciperent. Quo quum advenissent, Tissaphernes, qui cum copiis pedestribus aderat, iis persuasit, ut Jasum oppidum, in quo Amorges, ejus hostis, se tenebat, aggrederentur. Atque repente impetu facto, quum Jasii non opinarentur nisi naves Atticas esse, illud capiunt. Optimam autem operam in ea pugna ediderunt Syracusani. Amorgam, Pissuthnae filium naturalem, qui a rege defecerat, vivum captum Lacedaemonii Tissapherni tradiderunt ad regem deducendum, sicut jussus erat [3]). Jaso oppido, veteri fortuna opulento, direpto milites magna praeda potiti sunt. Socii Amorgae, quum plurimi essent Peloponnesii, militum numero inseruntur; oppidum ipsum cum captivis Tissapherni traditur.

Insequenti hieme (ejusdem anni 412 a. Chr. n.) Tissaphernes Jaso oppido munito quum Miletum venisset, unius mensis stipendium, quod Lacedaemone promiserat, drachmam Atticam singulis nautis omnium navium solvit; in posterum autem ternos tantum obolos daturum se

---

[1]) Thuc. VIII. 1—27. Grote l. l. p. 272—298. Cf. Manson, Sparta, II. 4. p. 255—267. — [2]) Thuc. VIII. 26. Diodorus (XIII. 34.) triginta quinque naves a Syracusanis cum Hermocrate duce missas esse tradidit. Cf. C. W. Krueger. ad Dionys. p. 278. 42.: „Hic dissensus utcunque tolli potest. Diodorus enim eas etiam tredecim naves numerat, quas Hippocrates in Asiam duxit, v. Thuc. XIII. 31. Quamquam harum nonnisi una Syracusana erat". Cum Thucydide consentit Xenophon (H. G. I. 2. 8.), ex quo praeterea cognoscimus cum Eucle, Hipponis, et Heraclida, Aristogenis filio, ducibus etiam quinque alias naves (praeter viginti illas ante missas) Lacedaemoniis a Syracusanis subsidio missas esse. Verba καὶ Σελινούσιαι δύο, quae h. l. Xen. leguntur, sane offendunt. Neglegentius tamen nobis scripta videntur pro καὶ οἱ ἀπὸ τῶν Σελινουσίων δυοῖν, ut Büchsenschütz in edit. Xen. H. G. adnotavit. Verba tamen αἳ ἔτυχον τότε παραγενόμεναι, νεωστὶ ἥκουσαι — στρατηγῶν nostra quidem sententia ad sola verba ἀπὸ ἑτέρων πέντε pertinent, non ad v. Σελινούσιαι δύο. — [3]) Thuc. VIII. 5.

ostendit, dum regem de ea re interrogasset; qui si jussisset, integram drachmam se daturum. Sed quum Hermocrates reclamasset (Theramenes enim eam rem nihil curavit), Tissaphernes ut paulo plus quam terni in diem oboli nautis solverentur concessit [1]).

Eodem autem tempore Tissaphernes, quum rebus Peloponnesiorum neglectis militibus stipendium maligne suppeditavisset neque classem Phoeniciam, quam adducturum se pollicitus erat, arcessivisset, Lacedaemoniis in suspicionem venerat. Videbatur enim iis et Atheniensium et Lacedaemoniorum vires minuendo bellum ducere ad augendam Persarum regis potentiam [2]).

Quamobrem sub idem tempus Lacedaemonii Antisthenem cum viginti septem navium classe, additis undecim Spartiatis, in quibus Lichas erat, Arcesilai filius, in Joniam miserunt, qui, quo loco Mileti res essent, cognoscerent. Simul jussi erant quum partem navium in Hellespontum Pharnabazo subsidio mittere, tum, si iis videretur, Astyocho munere abrogato Antisthenem classi praeficere. Quae Lacedaemoniorum classis quum ad Cannum, Cariae urbem, appulisset et Astyochus pulsis Atheniensium navibus, quibus Charminus praeerat, Cnidi cum classe illa naves suas conjunxisset, ibidem undecim illi viri cum Tissapherne, qui eo profectus erat, et de rebus usque ad id tempus gestis et de optima belli in posterum gerendi ratione collocuti sunt.

Quo in colloquio Lichas rejectis duobus foederibus, et cum Chalcideo et cum Theramene factis [3]), ut novum meliusque foedus cum rege Persarum fieret, postulavit; aliter stipendium a Persis solvendum se repudiaturos esse. Quam rem aegre ferens Tissaphernes statim discessit [4]).

Itaque factum est ut Lacedaemonii coacta classe nonaginta quattuor navium, rati etiam se ipsos militibus stipendium persolvere posse, oblata occasione Rhodo insula potirentur atque a Mileto illuc castra navalia transferrent.

Neque vero quidquam mentione dignum suscipiebant, sed navibus subductis octoginta per dies quieti se dabant [5]). Quae desidia difficilis intellectu est, nisi forte Tissaphernes, qui etiamtum cum Lacedaemoniis in insula Rhodo versantibus consentiebat, eos impedivit, quominus bellum majore vi gererent.

Tissaphernes autem tum temporis maxime Alcibiadis consilia sequebatur. Qui quum post pugnam illam ad Miletum factam [6]) apud Lacedaemonios in invidiam et suspicionem incidisset, ita ut Astyochus illum interimere juberetur, ad Tissaphernem fugerat, ut Lacedaemoniis, quantum posset, damnum inferret. Itaque Tissaphernes illo auctore, antequam Lacedaemonii Rhodo insula potiti essent, et stipendium militibus solvendum, ut supra demonstratum est, deminuerat et trierarchos ducesque civitatum largitionibus adducere conatus erat, ut in ea re secum consentirent. Sed unus Hermocrates omnium sociorum nomine, ne id fieret, restitit [7]).

Postea tertio foedere inter Lacedaemonios et Tissaphernem facto, quo is denuo et stipendium se illis soluturum et classem regiam arcessiturum pollicetur [8]), Lacedaemonii (sub extremum Martium mensem a. 411, Ol. 92. 1.) ab insula Rhodo profecti Miletum redire statuerunt, ut Chiis,

---

[1]) Thuc. VIII. 27—30. De hac re difficillima, quam enucleare nobis non sumimus, cf. quae Hertlein. et Poppo ad Thuc. VIII. 29. disputaverunt; Grote l. l. p. 300.; C. W. Krüger. Commentat. crit. et hist. de Thuc. Hist. parte postr. 6. p. 354. sq. — [2]) Thuc. VIII. 46. — [3]) Thuc. VIII. 18 et 37. — [4]) Thuc. VIII. 39—43. — [5]) Thuc. VIII. 44. Grote l. l. p. 308: „von ungefähr Mitte Januar bis Ende März 411 v. Chr." — [6]) Cf. p. 22. — [7]) Thuc. VIII. 45. — [8]) Thuc. VIII. 58.

qui ab Atheniensium duce Strombichida terra marique circumventi in summa difficultate erant, opem ferrent. Astyochus autem Atheniensium classe conspecta proelio navali decertare non ausus Miletum pervenit. Sed Chii ab Astyocho derelicti et obsidione in dies magis pressi, quum jam ante a Milesiis duodecim naves (in quibus quattuor Syracusanorum naves erant) auxilio iis missae essent, omnibus copiis, et terrestribus et navalibus, eruptione facta acerrimum proelium navale commiserunt, ex quo non inferiores discesserunt.

Nihilominus autem Strombichides, quum Abydeni atque biduo post Lampsaceni ad Dercylidam in Hellespontum missum et Pharnabazum descivissent, statim cum viginti quattuor Atheniensium navibus ad Hellespontum contendit, ut urbes illas servaret. Lampsaco autem capta contra Abydenos profectus est. Quam urbem quum expugnare non potuisset, ad alterum Hellesponti litus vectus Sesto, Chersonesi urbi, praesidium imposuit, quo totum Hellespontum tueretur.

Eodem autem tempore inter Athenienses civiles illae discordiae exortae erant, quibus optimates Athenis abolito imperio populari quadringentorum dominationem constituerunt. Qua re cognita Sami quoque optimates, a Charmino, uno ex Atheniensibus duce, aliisque Atheniensibus excitati, imperium populare evertere paraverunt. Sed impetu in populares facto ab adversariis, quibus Leon et Diomedon, ceteri Atheniensium duces, praeerant, devicti sunt. Quo facto Thrasybulus et Thrasyllus, qui praecipui ejus mutationis auctores exstiterant, omnes milites, etiam qui ab optimatium partibus stabant, ad jusjurandum sanctissimum adegerunt, populare imperium se tutaturos neque unquam cum quadringentis Atheniensium tyrannis esse facturos. Etiam omnes, qui adulti erant, Samii idem jusjurandum juraverunt. Denique milites concione facta ducibus et trierarchis, qui suspecti iis videbantur, munere ademto alios duces et trierarchos creaverunt, in quibus Thrasybulus et Thrasyllus erant. Itaque tunc Sami libera reipublicae forma est servata [1]).

Quae dum Athenis et Sami geruntur, classis Peloponnesiacae milites et Astyochi desidiam et Tissaphernis perfidiam questi, per eos clamant omnes res suas perire; neque enim hunc ante, quum ipsi mari plus valuissent quam Athenienses, pugnam navalem committere voluisse, neque tunc, quum Athenienses inter se ipsi dissidere dicerentur nec classis eorum uno loco esset conjuncta; ab illo autem et stipendio commeatuque se fraudari et Phoeniciae classis spe haberi ludibrio. Quapropter non jam dubitandum esse quin proelio decertarent. Atque id vel maxime Syracusani nitebantur.

Quamobrem Astyochus de perturbatis Sami rebus certior factus, quum proelio decertari in concione placuisset, cum classe centum duodecim navium ad Mycalen promontorium evectus est; simulque Milesii pedestribus copiis eodem proficisci jussi sunt.

Athenienses autem, qui cum octoginta duabus navibus ad Mycalen in ancoris constiterant, hostium classe conspecta quum, priusquam Strombichides cum navibus suis ex Hellesponto revertisset, de summa rerum decernere noluissent, ad Samum insulam se receperunt.

Lacedaemonii autem, quum ad Mycalen promontorium consedissent, postero die contra Athenienses ad Samum insulam proficisci in animo habebant. Sed nuntio allato Strombichidam ex Hellesponto cum navibus Samum rediisse statim Miletum reverterunt.

[1]) Thuc. VIII. 60—76.

Jam vero Athenienses, quum Strombichidae navibus essent aucti, classe centum et octo navium coacta ipsi, ad Miletum versus evecti, hostes proelio lacessere conati sunt, sed proelio detrectato Samum redierunt [1]).

Neque multo post (aestate anni 411 a. Chr. n.) quum Byzantii ad Lacedaemonios defecissent, Alcibiades, maxime auctore Thrasybulo ab exercitus Samii ducibus restitutus, Samum rediit et cum prioribus dux creatus est. Confidebant enim illi in revocando Alcibiade omnem salutis spem esse positam, quippe qui unus Tissaphernis voluntatem atque auxilium sibi comparare posset.

Quo magis et Tissaphernes, quum ab Alcibiade permotus in dies languidior ad stipendium solvendum commeatumque praebendum factus esset, et Astyochus, qui lucri faciendi causa Tissaphernem adulatus classem prodidisset, omnium Peloponnesiorum militum habuerunt summam invidiam. Quare accidit aliquando, ut Syra usani et Thurini, ut maxima ex parte homines liberae conditionis erant, ita audacius Astyochum adeuntes stipendium flagitarent. Qui quum arrogantius responsum dedisset et Dorieo [2]) nautis suis patrocinanti baculo sublato minitatus esset, nautae eum aggressi verbera minantur. Quod ubi ille vidit, ad aram quandam effugit.

Neque Milesii Tissaphernem favore complectebantur. Solliciti de castello Mileti ab illo exstructo, ex improviso impetu facto id capiunt et custodes ei impositos expellunt; id quod cum ceteris sociis tum Syracusanis magnae fuit voluptati, a Licha Spartiata illis datum est crimini.

Quae inimicitiae dum Peloponnesiis intercedunt cum Astyocho et Tissapherne, Mindarus a Lacedaemoniis missus Miletum advenit, qui in Astyochi locum succederet. Astyochus autem Lacedaemonem redire paravit. Eodem autem tunc (anno 411. a. Chr. n.) Hermocrates cum Milesiorum nonnullis profectus est, ut Tissaphernis perfidiam et proditionem quereretur Lacedaemoniosque doceret per illum et Alcibiadem res Peloponnesiorum ad exitium esse vocatas. Nec Tissaphernes legatum non misit, Gaulitam Carem, utriusque linguae peritum, qui et ipsum a criminibus illorum defenderet et Milesios de capto castello accusaret [3]).

Mindarus autem quum desperasset classem Phoeniciam, quam Tissaphernes ipsi quoque ab Aspendo se adducturum pollicitus erat, auxilio sibi esse venturam, a Pharnabazo plus semel admonitus, ut secum Hellesponti urbes ab Atheniensium foedere averteret, cum septuaginta tribus navibus ad Hellespontum profectus est. Eadem aestate jam antea sedecim naves illuc navigaverant et Chersonesi partem vastaverant.

Ibi paulo post inter Athenienses et Lacedaemonios proelium navale ad Cynossema commissum est, quo Lacedaemonii victi et in fugam conjecti sunt. In eo proelio Syracusani, quibus Hermocrates praeerat [4]), in dextro cornu collocati erant [5]).

[1]) Thuc. VIII. 78. 79. — [2]) „Non Hermocrates hic loci indigitatur, ut existimat Scholiastes, sed Dorieus, Diagorae filius, cujus meminit Xenophon initio primi libri *τῶν Ἑλληνικῶν*" Huds. apud Popp. ad Thuc. VIII. 84. — [3]) Thuc. VIII. 80—86. — [4]) Diod. XIII. 39: *Λακεδαιμόνιοι μὲν οὖν ἐπὶ τοῦ δεξιοῦ κέρατος ἔταξαν τοὺς Συρακοσίους, ὧν Ἑρμοκράτης ἀφηγεῖτο* sq. — [5]) Thuc. VIII. 104: *κέρας δὲ τοῖς μὲν Πελοποννησίοις εἶχον τὸ μὲν δεξιὸν Συρακόσιοι, τὸ δ' ἕτερον αὐτὸς Μίνδαρος καὶ τῶν νεῶν αἱ ἄριστα πλέουσαι, Ἀθηναίοις δὲ τὸ μὲν αριστερὸν Θράσυλλος, ὁ δὲ Θρασύβουλος τὸ δεξιόν* sq. Contra Diod. XIII. 39: *Τῶν δ' Ἀθηναίων ἐπὶ μὲν τὸ δεξιὸν ἐτάχθη Θράσυλλος, ἐπὶ δὲ τὸ εὐώνυμον Θρασύβουλος.* Hermo-

Procul dubio Hermocrates etiam alteri proelio ad Abydum facto [1]) atque postremum cladi ad Cyzicum anno post (aestate a. 410 a. Chr. n., Ol. 92. 2.) a Lacedaemoniis acceptae interfuit. Qua clade Lacedaemonii vel maxime afflictati sunt: Mindarus cecidit; in fugam conjecti omnes naves amiserunt, quas Athenienses Proconnesum secum abduxerunt praeter Syracusanorum naves, quas ipsi cremaverant.

Tum vero Pharnabazus confirmatis Lacedaemoniorum sociorumque animis hortatus est, ne de navibus aedificandis desperarent, materiae copiam regi esse satis magnam, dummodo ipsi essent salvi; atque singulis vestes et commeatus duorum mensium distribuit et nautas armatos orae suae maritumae constituit custodes. Duces autem trierarchosque ex urbibus ad concilium convocatos triremes aedificare jussit Antandri, quotcunque amisissent; simulque pecunias praebuit et materiam in Ida monte caedendam curavit. Qui dum naves faciunt, Syracusani cum Antandriis munitionis partem perficiunt et inter praesidia ibi collocata vel maxime probantur. Quamobrem ab Antandriis quum aliis honoribus tum civitate donati sunt.

Eodem autem tempore (anni 410 a. Chr. n.) nuntius allatus est Syracusanorum duces a populo in exsilium esse missos. Quare militibus Syracusanis ad concionem vocatis Hermocrates, suo et ceterorum nomine locutus, fortunam suam questus est, quod injuria omnes contra legem exsilio essent affecti; et postquam admonuit, qua alacritate virtuteque ante fuissent, ut eadem in posterum uterentur, hortatus est ut, dum ii qui in suum locum successuri essent, advenissent, alios duces crearent. Quod quum illi maximeque trierarchi et nautae et gubernatores vociferantes negassent, eorum precibus permoti duces in munere se permansuros annuerunt, dum successores advenissent.

In eorum autem locum a Syracusanis Miletum [2]) missi sunt Demarchus, Epidoci filius, Myscon, Menecratis filius, Potamis, Gnosis. Trierarchorum autem plerique quum jurassent restituturos se esse illos, quum Syracusas rediissent, omnes laudibus cumulatos, quocunque vellent, dimiserunt [3]).

---

cratis ipsius Th. mentionem non fecit. Syracusanorum unam navem ab Atheniensibus in eo proelio captam esse Diod. (XIII. 40.) et Thuc. (VIII. 106.) consentiunt. — [1]) Xen. H. G. I. 1. 3—8. — [2]) Contra Diod. XIII. 63: *τὸν δὲ στόλον παρέδωκε (Ἑρμοκράτης) ἐν Πελοποννήσῳ τοῖς ἐπὶ τὴν διαδοχὴν ἀποσταλεῖσιν.* Cf. C. W. Krueger. Comm. crit. et hist. IV. 7. (Dion. Halic. Hist. p. 322). — [3]) Xen. H. G. I. 1. 13—30. Hermocrates ceterosque Syracusanorum duces post pugnam demum ad Cyzicum commissam, a. 410 a. Chr. n., in exsilium missos esse ex Xenophontis narratione, quam attulimus, evidenter apparet. Neque vero cum eo discrepat Thucydides, qui (VIII. 85.) quum Hermocratem, ut Tissaphernis proditionem accusaret, cum Milesiis Lacedaemonem profectum esse narrasset, pergit: *ἔχθρα δὲ πρὸς αὐτὸν ἦν αὐτῷ ἀεί ποτε περὶ τοῦ μισθοῦ τῆς ἀποδόσεως· καὶ τὰ τελευταῖα, φυγόντος ἐκ Συρακουσῶν τοῦ Ἑρμοκράτους, καὶ ἑτέρων ἡκόντων ἐπὶ τὰς ναῦς Συρακοσίων ἐς τὴν Μίλητον στρατηγῶν — ἐνέκειτο ὁ Τισσαφέρνης φυγάδι ὄντι ἤδη τῷ Ἑρμοκράτει πολλῷ ἔτι μᾶλλον καὶ κατηγόρει ἄλλα τε καὶ ὡς χρήματά ποτε αἰτήσας αὐτὸν καὶ οὐ τυχὼν τὴν ἔχθραν οἱ πρόθοιτο. Ὁ μὲν οὖν Ἀστύοχος καὶ οἱ Μιλήσιοι καὶ ὁ Ἑρμοκράτης ἀπέπλευσαν ἐς τὴν Λακεδαίμονα.* Sunt qui ea verba perperam interpretando Thucydidem contenderint auctorem esse, Hermocratem jam anno 411 a. Chr. n., quum cum Astyocho Milesiisque Lacedaemonem proficisceretur, exsulasse. Cf. Pauly (Real-Encyclopäd. der klass. Alterth.) s. v. Hermocrates: „Zwar berichtet hier Thukydides, Hermokrates sei schon damals aus Syrakus verbannt worden sq.; diese Absetzung fällt aber erst in das folgende Jahr sq." Neque rectius Osiander interpretatus est: „Er war von jeher mit Hermokrates wegen der Ablieferung des Soldes in Feindschaft gewesen: und da in der letzten Zeit Hermokrates aus Syrakus verbannt war und andere Syrak. Befehlshaber bei dem Geschwader vor Milet angekommen waren . . . ., so verfolgte Tissaphernes den Hermokrates als Verbannten noch weit mehr" sq. Sed verba illa ita nobis vertenda videntur:

Priusquam autem res ab Hermocrate gestas inde ab ejus exsilio usque ad vitae finem perducamus, duorum Xenophontis locorum, qui in ejus Hist. Gr. inveniuntur, mentio nobis est faciend.. Xenophon quum in H. G. I. 1. 30. Hermocratis singulares in omni genere virtutes laudibus extulerit, his verbis pergit: *Κατηγορήσας δὲ Τισσαφέρνους ἐν Λακεδαίμονι Ἑρμοκράτης, μαρτυροῦντος καὶ Ἀστυόχου, καὶ δόξας τὰ ὄντα λέγειν, ἀφικόμενος παρὰ Φαρνάβαζον, πρὶν αἰτῆσαι χρήματα λαβὼν παρεσκευάζετο πρὸς τὴν εἰς Συρακούσας κάθοδον ξένους τε καὶ τριήρεις.* Hermocratem cum Astyocho Milesiisque anno 411. a. Chr. n. Lacedaemonem profectum esse Tissaphernis proditionis accusandae causa, jam supra (p. 25) demonstravimus. Ut igitur Lacedaemone statim ad Pharnabazum se conferret ad reditum suum in patriam parandum, fieri non potuit. Quare Mitfordum erravisse patet, quum hoc Xenophontis loco fisus (l. l. IV. p. 391) diceret:

„Selbst nachdem Hermocrates vom Commando entlassen war, konnte er noch der gemeinschaftlichen Sache nützlich werden" sq. „Er ging nach Lacedaemon, wo er eine ehrenvolle Aufnahme fand. Hier unterrichtete er die Regierung von der Lage der Dinge in Asien, besonders aber von dem Verfahren, dem Charakter und den Plänen der persischen Satrapen, der Geradheit und dem Edelmuthe des Pharnabazus und der List und dem Eigennutze des Tissaphernes. Als er auf diese Weise den Entschluss der spartanischen Regierung, den Krieg fortzusetzen, bestärkt, ihr neue Aussichten zu Hülfsmitteln geöffnet und zu gleicher Zeit seine Verbindungen mit den wichtigsten Männern in Lacedaemon befestigt hatte, wodurch seine eigenen Pläne in Syrakus nicht wenig befördert werden konnten, so kehrte er nach Asien zurück, begab sich daselbst zu Pharnabazus und ward von ihm auf das Freundschaftlichste empfangen" sq.

Rectius Büchsenschütz. in Xen. H. G. editione ad h. l.: „Wenn der Text wirklich ohne Verderbniss und der Satz mit dem folgenden zu verbinden ist, so muss er als Grund angesehen werden, wesshalb Pharnabazus, der ein Gegner des Tissaphernes war, den Hermokrates so bereitwillig unterstützte."

Sed ne hanc quidem interpretationem loco illi remedio esse posse, jam Brücknerus in Diar. stud. ant. 1839, p. 396. (ap. L. Dindorf. in Xen. H. G. ed. praef. p. IV.) ostendit, qui recte: „Supposititia igitur censemus haec verba habenda et adscripta esse ab eo, qui Hermocratem e Thucydide nosset Tissaphernis apud Lacedaemonios accusatorem exstitisse et caussam inde invenisse videretur, qua Pharnabazus, quippe infestus illi, tam benigne eum excepisset. Sunt vero etiam in reliquis,

---

Inimicitiae autem cum illo (Tissapherne) et semper ei (Hermocrati) intercesserant de debita plenaque mercede nautis solvenda, et extremo tempore (i. e. anno insequenti, quum Hermocratis munus ad finem esset perductum), quum Hermocrates Syracusis ejectus esset in exsilium et alii duces ad Syracusanorum naves Miletum advenissent, Potamis, Myscon, Demarchus, Tissaphernes jam exsulantem Hermocratem multo magis odio persequebatur et quum aliarum rerum accusabat tum quod pecunias aliquando a se postulasset et lata repulsa inimicitias illas gessisset. Sed quum pergit: *Ὁ μὲν οὖν Ἀστύοχος καὶ οἱ Μιλήσιοι* sq., scriptor noster redit ad narrandas res anni 411 a. Chr. n. Quae verborum illorum explicatio etiam Popponi probata videtur, qui ad h. l. adnotavit: „Erraverat Dodw. scribens hoc tempore (i. e. a. 411 a. Chr.) Hermocratem exsulasse. Item Manso nobiscum facit, quum l. l. IV. p. 307. in adn. scribit: „Auch Thukydides gedenkt seiner (des Hermocrates) erst in dieses Jahr gehörenden Absetzung vorläufig." Neque aliter C. W. Krueger l. l. p. 321. 322: „Etenim non hoc dicit scriptor, Hermocratem jam tum, cum Lacedaemonem proficisceretur, a praefectura remotum fuisse, sed praecipit tantum, quod postmodum factum esse Xenophon docet." Cf. etiam Mitford l. l. IV. p. 387. sq.

in quibus jure offendamus" sq. Denique: „Sat probabiles, puto, caussae, quibus Xenophonti haec abjudicentur."

Alter autem Xenophontis locus, quo res narratur difficilis ad credendum, hic est (H. G. I. 3. 13.): *Φαρνάβαζος μὲν οὖν εὐθὺς ἀπῄει, καὶ τοὺς παρὰ βασιλέα πορευομένους πρέσβεις ἀπαντᾶν ἐκέλευσεν εἰς Κύζικον. Ἐπέμφθησαν δὲ Ἀθηναίων μὲν Δωρόθεος, Φιλοδίκης, Θεογένης, Εὐρυπτόλεμος, Μαντίθεος, σὺν δὲ τούτοις Ἀργεῖοι Κλεόστρατος, Πυρρόλοχος· ἐπορεύοντο δὲ καὶ Λακεδαιμονίων πρέσβεις Πασιππίδας καὶ ἕτεροι, μετὰ δε τούτων καὶ Ἑρμοκράτης, ἤδη φεύγων ἐκ Συρακουσῶν καὶ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ Πρόξενος. Καὶ Φαρνάβαζος μὲν τούτους ἦγεν.*

Athenienses enim, quum (anno 409 a. Chr. n., Ol. 92. 3.) Alcibiade duce Lacedaemonios ad Chalcedona vicissent, quo in proelio Hippocrates Lacedaemonius, urbis praefectus, cecidit, cum Pharnabazo pactionem fecerunt, qua is praeter alias res Atheniensium legatos ad regem Persarum se adducturum pollicitus est. Interea inter eos convenit, dum legati illi a rege revertissent, ut essent indutiae. Etiam Alcibiades, qui, quum pactio illa fiebat, forte aberat, paulo post ad eam accessit. Quo facto Xenophon dicit Pharnabazum statim abiisse et Atheniensium legatos, quos ad regem proficisci placuisset, Cyzicum se convenire jussisse; una autem cum iis Lacedaemoniorum legatos et inter eos Hermocratem cum Proxeno fratre in Asiam esse profectos.

Sed ut alia omittamus, quae suspecta videntur, Hermocrates ille, de quo agimus, inter legatos illos esse non potuit, si iis fides habenda est, quae Diodorus l. XIII. c. 63 et 75 enarrat et postea a nobis fusius referentur. Denique recte Dindorfius l. l. p. V. adjecit: „Tota illa Spartanorum ad regem Persarum legatio supervacanea videtur, quum I. 4. 2. dicantur legatis his cum Pharnabazo *πορευομένοις παρὰ βασιλέα* obviam facti *οἱ Λακεδαιμονίων πρέσβεις Βοιώτιος καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ καὶ οἱ ἄλλοι ἄγγελοι*, qui *ἔλεγον ὅτι Λακεδαιμόνιοι πάντων ὧν δέονται πεπραγότες εἶεν παρὰ βασιλέως* sq. [1]).

Jam vero ad narrandam Hermocratis extremam vitam nobis redeundum est. Patria expulsus Hermocrates, quum in extrema Lacedaemoniorum expeditione ad Hellespontum facta, maximeque, ut vidimus, Antandri Pharnabazi, satrapis regis Persarum, voluntatem atque amicitiam sibi conciliavisset, quae non tam inimicitiis inter Hermocratem et Tissaphernem intercedentibus quam spectatis Hermocratis virtutibus parta esse videbatur, ad Pharnabazum se contulit. A quo amicissime receptus magnam pecuniam accepit, qua reditum in patriam sibi compararet.

Quare Messanam revectus quum quinque triremibus aedificatis mille milites conduxisset et Himeraeos patria expulsos mille fere coegisset, ab amicis adjutus (anno 409. a. Chr. n.) Syracusas redire conatus est. Quae spes quum eum fefellisset, per mediam insulam profectus Selinuntem oppidum occupavit: cujus quum partem munivisset, undique Selinuntios, qui ex clade a Carthaginien-

---

[1]) Cf. etiam, quae Büchsenschütz. ad Xen. H. G. I. 3. 13. adnotavit. — Et Grote (l. l. IV. p. 412) et Manso (l. l. IV. p. 314) huic Xenoph. loco confisi Hermocratem ad regem Persarum proficiscentem fecerunt. Sed Grote quidem l. l., V. p. 644 n. 86. recte haec: „Mir scheint es unmöglich, dass die bei Xenophon den Pharnabazos in das Innere begleitende Person der ausgezeichnete Hermocrates gewesen sein kann. Zu bestimmen, ob es eine andere Person desselben Namens war — oder ob Xenophon ganz und gar falsch unterrichtet war — nehme ich nicht auf mich. Es gab wirklich zwei gleichzeitig lebende Syrakusaner, die diesen Namen trugen, denn der Vater des Dionysios des Despoten hiess Hermokrates.".

sibus accepta [1]) supererant, in patriam revocavit. Etiam aliis multis receptis in id oppidum exercitum sex milium fere hominum delectorum coegit.

Unde quum movisset, et Motyenos et Panormitanos vicit et agris direptis magna praeda potitus est. Item reliqua Siciliae parte, quae sub Carthaginiensium potestate erat, devastata magnam sibi laudem peperit apud Sicilienses.

Etiam Syracusanorum plerosque jam poenitebat Hermocratem, virum de patria optime meritum, expulisse. Qua de re quum concionibus vocatis saepe consultatum esset, populus propensus videbatur ad virum illum restituendum.

Quod quum ille cognovisset, etsi non ignorabat fore ut adversarii sibi resisterent, reditum enixe paravit. Quare quum Selinunte cum suis discessisset, Himeram profectus in suburbanis diruti oppidi locis castra posuit. Explorato autem, quo loco Syracusanorum acies in pugna cum Carthaginiensibus anno ante ibi commissa [2]) collocata fuisset, caesorum ossa collegit. Quae plaustris quam maxime exornatis imposita ad Syracusanorum fines prosecutus est. Ipse autem, dum illic remanet, quum exsul legibus vetitus esset intrare, suorum complures misit, qui plaustra Syracusas deferrent. Fecit autem illud Hermocrates, ut Diocles, qui in pugna illa Syracusanis praefuerat et maxime tum obstabat, quominus ille restitueretur, quum maxime in culpa fuisse videretur, quod caesi inhumati relicti essent, apud populum offenderet, ipse autem humanitate in cives usus priorem eorum voluntatem ac benevolentiam sibi reconciliaret. Quibus reliquiis Syracusas transportatis seditio multitudinis conflata est, quum Diocles eas sepeliri vetaret, juberet multitudo. Sed postremum Syracusani omnes caesorum reliquias prosecuti sollemni funere extulerunt.

Quo facto Syracusani Dioclem exsilio multarunt, Hermocratem veriti ne quando, qua esset audacia, rerum potitus tyrannum se praeberet, non revocarunt. Quae quum ita essent, Hermocrates, tum quidem facultatem ad vim iis inferendam non dari ratus, Selinuntem revertit. Nonnullo autem spatio intermisso ab amicis arcessitus cum tribus milibus militum per Gelenses itinere facto noctu ad eum qui convenerat locum adfuit.

Ipse igitur initio cum paucis porta ad Achradinam sita ingressus, quum amicorum suorum complures loca illa occupasse vidisset, etiam reliquos milites, qui extra erant relicti, adduxit. Tum vero Syracusani ea re cognita armati ad forum accurrunt. Quo quum magna hominum multitudo convenisset, pugna conserta et Hermocrates et qui eum secuti erant, maxima ex parte trucidantur (anno 408 a. Chr. n., Ol. 93. 1.) [3]).

Qui supererant ex ea pugna, in jus vocati exsilio multati sunt. Quamobrem nonnulli eorum, multis vulneribus confecti, a propinquis, ne multitudinis irae obnoxii essent, ut mortui perhibentur, in his etiam Dionysius, qui non ita multo post Syracusanorum factus est tyrannus [4]).

---

[1]) Diod. XIII. 54—58. — [2]) Diod. XIII. 61. 62. — [3]) Quae si vere Diodorus memoriae prodidit, fieri non potuit ut Hermocrates, de quo agimus, cum Lacedaemoniis ad Aegos flumen pugnaret, id quod Polybius (XII. 25, k.) tradit. Cf. Grote l. l., V, 644. n. 86: „In der Angabe des Polybius ist ein Irrthum, ich weiss aber nicht, wie ich ihn erklären soll." Cf. Holm (Geschichte Siciliens im Alterthum, Leipzig 1874) II. p. 424: „Bei Polyb. XII. 25. k. ist ein Irrthum in Betreff des Hermocrates; wieder ein Beweis, dass Polybius die alten sicilischen Verhältnisse nicht genau kannte." — [4]) Diod. XIII. 63. et 75. Reinganum: Selinus und sein Gebiet, Leipzig 1827. p. 132. 133.

Jam Hermocratis Syracusani vita pro viribus explicata restat, ut de ejus moribus atque ingenio pauca adjiciamus. Quae quamquam ex vitae narratione cognita sunt, tamen operae pretium videtur esse comprehendendo ea, quae retulimus, ejus viri imaginem, ut ita dicamus, planiorem atque manifestiorem reddere.

Quamquam nos non fugit, qualis vir Hermocrates nobis ante oculos positus sit, talem inprimis a Thucydide descriptum atque ab eodem in concionibus dicentem esse factum, tamen non dubitamus, quin Thucydides, qua erat fide [1]), ab initio belli illius omnes res ad id describendum necessarias diligenter et ad veritatem collegerit, atque litteris mandaverit. Quae quum ita sint, et ex rebus gestis et ex orationibus illis a Thucydide compositis verum Hermocratis ingenium moresque cognosci posse nobis est persuasum.

Hermocrates, quem inde ab initio, ubi ad rempublicam accessisse perhibetur [2]), optimatibus praefuisse vidimus [3]), inprimis patriae fuit amantissimus; id quod et tota vita et morte probavit, quam pro patria recuperanda oppetivit. Quamdiu Sicilia in periculo versabatur, non desistebat non solum Syracusanos, sed etiam omnes Sicilienses hortari, ut compositis inter se discordiis civilibus patriae omnium communis salutem ac libertatem ab hostibus externis defenderent.

Quare Reingano non assentimur, quum l. l. p. 133. dicit: „Mehrere Male sehen wir im nächsten Jahre (Ol. 93. 1., 408 v. Chr.) den rachsüchtigen Syrakusaner, der gern mit dem Degen in der Hand die Rückkehr in die Vaterstadt erzwungen hätte, unverrichteter Sache nach dem zu der Zeit wohl bedeutend vergrösserten Selinus zurückkehren“ sq.

Ultionis cupidum Hermocratem vere dicere non possumus [4]); in patriam ille redire cupit non tam adversarios ulciscendi cupiditate ductus quam patriae amore. Tantum aberat ut is, quum cives ei ceterisque ducibus propter res contra Athenienses male gestas imperium abrogassent [5]), iis succenseret aut injuriam eorum ulcisci studeret, ut paulo post, quum Gylippus Syracusanis suasisset, ut mari Athenienses aggrederentur, illos, ut antea, consilio suo adjuvaret. Nonne id boni civis patriaeque amantissimi esse recte censemus?

Neque minus consilio prudentiaque civili illum inter omnes Syracusanos atque Sicilienses eminuisse et ex ejus orationibus et ex rebus gestis satis elucet. *Ἀνὴρ* a Thucydide praedicatur, ut supra vidimus [6]), *καὶ ἐς τἆλλα ξύνεσιν οὐδενὸς λειπόμενος καὶ κατὰ τὸν πόλεμον ἐμπειρίᾳ ἱκανός.*

Quo quum esset ingenio ac prudentia, effecit ut adversariorum atque eorum ducis, Athenagorae, consilia irrita fierent, qui veriti ne Hermocrates tyrannidem occupare conaretur, bellum

---

[1]) Thuc. I. 1.: *ξυνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων, ὡς ἐπολέμησαν πρὸς ἀλλήλους, ἀρξάμενος εὐθὺς καθισταμένου* sq. I. 22: *ὡς δ' ἂν ἐδόκουν ἐμοὶ ἕκαστοι περὶ τῶν ἀεὶ παρόντων τὰ δέοντα μάλιστ' εἰπεῖν, ἐχομένῳ ὅτι ἐγγύτατα τῆς ξυμπάσης γνώμης τῶν ἀληθῶς λεχθέντων, οὕτως εἴρηται* sq. Cf. de orationibus Thucydidis W. Roscher Klio, p. 154: „Wir haben die Reden des Thuc. als die vornehmsten Mittel zu betrachten, wodurch er die äusserlichen Thatsachen auf ihre geistigen Motive zurückführt. Niemand hat in höherem Grade die Kunst verstanden, einer jeden seiner Personen nachzudenken und nachzufühlen. Aus einem Athener kann er zum Archidamos und Hermokrates werden; aus einem Manne voll Perikleischen Geistes zum Alcibiades; aus einem fein erzogenen Optimaten zum Athenagoras und Kleon“ sq. — [2]) Clinton F. H. II. p. 68. — [3]) O. Müller, Dorier p. 160 a. 5. — [4]) In Alcibiadem id crimen cadere rectius dixeris; cf. Plut. Alcib. 22: *Ὕστερον δ' ἀκούσας, ὅτι θάνατον αὐτοῦ κατέγνωκεν ἡ πόλις· Ἀλλ' ἐγώ, εἶπε, δείξω αὐτοῖς ὅτι ζῶ.* — [5]) Anno 414. a. Chr. n.; cf. supra p. 16—17. — [6]) Cf. p. 2.

parari vetabant. Quos quum non modo plane ignaros esse earum rerum, quae ab Atheniensibus pararentur, sed etiam incuria ac dementia eorum patriam in summum discrimen et periculum vocari civibus persuasisset, ipse summam apud Syracusanos consecutus est auctoritatem, Athenagorae in posterum mentio facta est nulla [1]).

Inprimis Hermocratis igitur opera evenit, ut duae illae expeditiones, ab Atheniensibus in Siciliam factae, ad irritum caderent.

Neque vero ille, ubi ex re esse existimabat, dolo uti neglegebat; id quod et Nicias [2]) et servi illi senserunt, quos, quum Syracusani seditione concitata magnam servorum manum collegissent, Hermocrates ad officium revocavit [3]).

Manu autem fortissimum fuisse Hermocratem, quippe qui cives suos ab initio hortaretur, ut Atheniensibus priores fortiter obviam irent [4]), neque postea unquam desisteret illos ad fortitudinem constantiamque excitare, atque in tot proeliis, et in Sicilia et in Asia terra marique factis, ducis munere saepe quidem fortius quam felicius, sed semper egregie perfunctus esset, et facile conjicias et omnes temporum illorum scriptores consentiunt. *Ἀνδρίᾳ ἐπιφανὴς* a Thucydide nominatur [5]). Diodorus ejus fortitudinem et usquequaque summis laudibus effert [6]) et, id quod supra p. 29, commemoravimus, l. XIII. c. 75. haec tradit: *Καὶ ὁ μὲν Διοκλῆς ἐφυγαδεύθη, τὸν δ' Ἑρμοκράτην οὐδ' ὣς προςεδέξαντο· ὑπώπτευον γὰρ τὴν τἀνδρὸς τόλμαν, μήποτε τυχὼν ἡγεμονίας ἀναδείξῃ ἑαυτὸν τύραννον.* Etiam Chariton Hermocratis mores recte describit, quum dicit [7]): *Μέμνησθε γὰρ ὅτι Ἑρμοκράτης οὐκ ἔστιν εὐκαταφρόνητος· ὥστε ἀδύνατος ἡμῖν πρὸς αὐτὸν ἡ ἐκ τοῦ φανεροῦ μάχη. Κρείττων δὲ ἡ μετὰ τέχνης.*

Quis est quin optet, ut futurum fuerit, ut fortitudini viri praeclarissimi, etiam extrema pugna luculenter probatae, felicior contingeret exitus?

Fide autem quam incorrupta fuerit, ex controversiis continuis cognovimus, quae ei erant cum Tissapherne, perfido illo regis Persarum satrapa. Quo magis Lacedaemoniorum illius aetatis duces corruptioni obnoxii erant, eo majoribus laudibus Thucydides Hermocratis effert honestatem atque innocentiam [8]). Summam fidem patriae magistratibus et antea semper praestitit et quum exsilio esset multatus [9]). In illa militum concione, quam antea commemoravimus, quum illi Hermocratem ceterosque duces, dum successores eorum advenissent, sibi praeesse jussissent, Hermocrates oboedientiam urbi suae se detrectaturos negat [10]). Eos tamen, id e republica esse ratos, imperium aliquamdiu retinuisse supra vidimus.

---

[1]) Cf. de Athenagora Grote l. l. p. 145 und 146.: „Athenagoras war zu Syracus, wie Kleon zu Athen — der Volksredner der Stadt. Er war aber keineswegs die einflussreichste Person und hatte auch die Hauptleitung der Staatsgeschäfte nicht“ sq. — [2]) Cf. p. 19. 20. — [3]) Polyaen. strat. I. 43. 1. cf. supra p. 14. — [4]) Cf. p. 6. — [5]) Cf. p. 2. — [6]) Cf. p. 18. — [7]) l. l. I. 2. 5. — [8]) Grote l. l. p. 300: „Theramenes — war gegen das Verhältniss des Soldes, nach welchem die Leute bezahlt wurden, gleichgültig (eine erbärmliche Eifersucht, welche den niedrigen Charakter vieler dieser spartanischen Offiziere bezeichnet)“ sq. u. p. 308: „Sogar Astyochos, der Oberbefehlshaber hatte seinen Antheil an diesem Bestechungshandel, von dem sich, den Syrakusaner Hermokrates ausgenommen, Niemand frei hielt; cf. Thuc. VIII. 50: *προςέθηκέ τε (Ἀστύοχος), ὡς ἐλέγετο, ἐπὶ ἰδίοις κέρδεσι Τισσαφέρνει ἑαυτόν* sq. — [9]) Fortasse *πεταλισμῷ*, cf. Diod. XI. 87. — [10]) Xen. H. G. I, 1. 28: *οἱ δ' οὐκ ἔφασαν δεῖν στασιάζειν πρὸς τὴν ἑαυτῶν πόλιν* sq.

Ex eadem autem re perspicue patet, quantum et apud milites suos omnes et apud duces auctoritate ille valuerit. Quod Syracusani apud Antandrios maxima erant in gratia, procul dubio disciplinae militari debuerunt Hermocratis. Quae qualis fuerit, manifesto argumento sunt haec Xenophontis verba [1]): *ἰδίᾳ δὲ οἱ πρὸς Ἑρμοκράτην προσομιλοῦντες μάλιστα ἐπόθησαν τήν τε ἐπιμέλειαν καὶ προθυμίαν καὶ κοινότητα. Ὧν γὰρ ἐγίγνωσκε τοὺς ἐπιεικεστάτους καὶ τριηράρχων καὶ κυβερνητῶν καὶ ἐπιβατῶν, ἑκάστης ἡμέρας πρωὶ καὶ πρὸς ἑσπέραν συναλίζων πρὸς τὴν σκηνὴν τὴν ἑαυτοῦ ἀνεξυνοῦτο ὅ,τι ἔμελλεν ἢ λέγειν ἢ πράττειν, κἀκείνους ἐδίδασκε κελεύων λέγειν τὰ μὲν ἀπὸ τοῦ παραχρῆμα, τὰ δὲ βουλευσαμένους. Ἐκ τούτων Ἑρμοκράτης τὰ πολλὰ ἐν τῷ συνεδρίῳ εὐδόξει λέγειν τε δοκῶν καὶ βουλεύειν τὰ κράτιστα.*

Quanta autem constantia in eo viro fuit! Quae si Siciliensibus tunc defuisset, quin Sicilia Atheniensium facta esset quis est, qui dubitet? Atque eosdem Athenienses quanta constantia etiam in Asia, quamdiu potuit, cum Lacedaemoniis bello persecutus est! Denique quid inexpertum omisit, ut reditum in patriam sibi compararet? Quare jure Horatii versus illos dissertationi nostrae praeposuisse videmur, quibus ingenium Syracusani illius depingeretur.

Neque vero solum is homo, tanto ingenio tantisque virtutibus praeditus atque insignis, in suos singulari facilitate ac mansuetudine utebatur, sed etiam summa erat in hostes humanitate, cujus praeclarum supra laudavimus exemplum.

„Non solum, inquit Cicero [2]), bellandi virtus in summo atque perfecto imperatore quaerenda est: sed multae sunt artes eximiae hujus administrae comitesque virtutis. Ac primum quanta innocentia debent esse imperatores! quanta deinde omnibus in rebus temperantia! quanta fide! quanta facilitate! quanto ingenio! quanta humanitate!"

Quarum virtutum quae defuit Hermocrati?

---

[1]) Xen. l. l. I. 1. 30 et 31. — [2]) in orat. de imperio Cn. Pompeji c. 13.

Jahresbericht,

das Schuljahr 1877|78 betreffend.

I. Lehrverfassung.

A. Klassen und Lehrplan.

Das Königliche Gymnasium zählte während des verflossenen Schuljahres neunzehn Klassen, nämlich zehn resp. (im Winter) elf Oster- und neun Herbstklassen. Von den letzteren war die im Herbste neu errichtete Herbst-Ober-Prima mit der Oster-Ober-Prima combiniert. In je zwei parallele Cötus zerfielen die Oster-Unter-Secunda, sowie im Sommer die Herbst-Ober-Tertia und im Winter die Oster-Ober-Tertia.

Der Lehrplan des Gymnasiums weist nur rücksichtlich der Mathematik in Quarta und Tertia, der Physik in Ober-Secunda, der Geographie und Naturkunde in Unter-Secunda, Tertia, Quarta und Quinta, des Hebräischen in Secunda und des Zeichnens in Quarta Abweichungen vom Normalplane auf.

B. Erledigte Lehrpensa.

(S. bezeichnet das Sommer-, W. das Winterhalbjahr. Die Lehrpensa der Herbstklassen beziehen sich auf ihr erstes (Winter-)Halbjahr.)

Oster-Ober-Prima (I a).

Ordinarius: Oberlehrer Dr. Hartwig.

1. **Evangelische Religionslehre** (2 St. w.). Grundzüge der christlichen Glaubens- und Sittenlehre nach Hollenberg, §. 158—192, mit Repetition des Katechismus. Uebersicht der Unterscheidungslehren nach Hollenberg, §. 133. Erklärung der Augsburgischen Confession. Dr. Lindenkohl.

Katholische Religionslehre (2 St. w. mit der übrigen Prima u. Secunda combiniert). Die Glaubens- und Sittenlehre. Hoffmann.

2. **Deutsch** (3 St. w.). Geschichte der deutschen Literatur, verbunden mit der Lectüre ausgewählter prosaischer und poetischer Stücke nach Hopf und Paulsiek. Philosophische Propädeutik nach Rumpel. Dispositionen, Aufsätze und freie Vorträge. Dr. Weber.

3. **Lateinisch** (8 St. w.). Horat. Od., Sat. und Epist. mit Auswahl (2 St.). Der Director. — Cic. de orat. II. III. mit Auswahl; Tac. ann. I. II. und Germania mit Auswahl. — Aufsätze, Exercitien und Extemporalien. Uebungen im Lateinsprechen. Grammatische Repetitionen. Stilistik nach Berger. (6 St.). Dr. Hartwig.

4. **Griechisch** (6 St. w.). Soph. Antigone und Oedipus Coloneus. — Grammatik nach Berger; mündliche und schriftliche Uebungen aus Seyfferts Uebungsbuche und nach Dictaten; Extemporalien. (3 St.). Dr. Weber. — Hom. Il. lib. XVII—XX; Demosth. orat. Philipp. I. de pace; Platon. Crito u. Eutyphro (3 St.). Dr. Hartwig.

5. **Französisch** (2 St. w.). Corneille, Horace; Scribe, Mon étoile; Girardin, La joie fait peur; Molière, Le bourgeois-gentilhomme. Exercitien; Extemporalien; Wiederholung der Grammatik nach Plötz, in französischer Sprache. Dr. Lindenkohl.

6. **Hebräisch** (2 St. w. mit der übrigen Prima combiniert). Grammatik nach Gesenius, §. 38—105 mit Auswahl. Lectüre: Josua 1—8 und Gen. 1—20. Dr. Paulus.

7. **Geschichte und Geographie** (3 St. w.). Neuere Geschichte nach Pütz. Geschichtliche und geographische Repetitionen. Dr. Hartwig.

8. **Physik** (2 St. w.). Lehre von der Electricität und Akustik. Allgemeine Wiederholung der Physik nach Trappe. Dr. Auth I.

9. **Mathematik** (4 St. w.). Repetition. Gleichungen des zweiten Grades mit mehreren Unbekannten. Combinationslehre. Binomischer Lehrsatz. Planimetrische, trigonometrische und stereometrische Aufgaben. Dr. Auth I.

10. **Gesang** (2 St. w. mit der übrigen Prima und Secunda combiniert). Temme.

Herbst-Ober-Prima.

Combiniert mit Oster-Ober-Prima.

Oster-Unter-Prima (I b).

Ordinarius: Professor Dr. **Weber**.

1. **Evangelische Religionslehre** (2 St. w.). Geschichte des Reiches Gottes nach Hollenberg, §. 1—91. Kirchengeschichte nach Hollenberg, §. 92—132. 134—157. Dr. Lindenkohl.

Katholische Religionslehre (2 St. w.). S. Ober-Prima.

2. **Deutsch** (3 St. w.). Mittelhochdeutsche Grammatik und Lectüre nach Hopf und Paulsiek. Schillers Wallenstein u. Goethes Iphigenie. Declamationen u. freie Vorträge. Dispositionen u. Aufsätze. Dr. Heußner.

3. **Lateinisch** (8 St. w.). Horat. Od. I. II. mit Auswahl (2 St.). Der Director. — Cic. Laelius, Cato major, orat. pro Murena. Liv. II. cursorisch. Grammatische Repetitionen. Stilistik nach Berger. Aufsätze, Exercitien, Extemporalien. Uebungen im Lateinsprechen. (6 St.). Dr. Weber.

4. **Griechisch** (6 St. w.). Sophoclis Electra; Hom. Ilias X—XIV. (3 St.). Dr. Heußner. — Thucyd. VI. VII. — Grammatik nach Curtius; mündliche und schriftliche Uebungen aus Seyfferts Uebungsbuche; wöchentliche Extemporalien. (3 St.). Der Director.

5. **Französisch** (2 St. w.). Zoller, biblioth. franç. I, 11: Mosaïque; Racine, Iphigénie. Exercitien, Extemporalien. Schulgrammatik von Plötz, p. 1—102. Dr. Lindenkohl.

6. **Hebräisch** (2 St. w.). S. Ober-Prima.

7. **Geschichte und Geographie** (3 St. w.). Geschichte des Mittelalters nach Pütz. Geschichtliche und geographische Repetitionen. Dr. Hartwig.

8. **Physik** (2 St. w.). Optik; Mechanik nach Trappe. Dr. Auth I.

9. **Mathematik** (4 St. w.). Progressionen; Kettenbrüche; Diophantische Gleichungen nach Heis. Beendigung der Trigonometrie; Geometrische und trigonometrische Aufgaben. Stereometrie. Dr. Auth I.

10. **Gesang** (2 St. w.). S. Ober-Prima.

Herbst-Unter-Prima (I c).

Ordinarius: Oberlehrer Dr. **Heußner**.

1. **Evangelische Religionslehre** (2 St. w.). Geschichte des Reiches Gottes nach Hollenberg, §. 1—91. Dr. Lindenkohl.

Katholische Religionslehre (2 St. w.). S. Ober-Prima.

2. **Deutsch** (3 St. w.). Mittelhochdeutsche Grammatik und Lectüre nach Hopf und Paulsiek. Schillers Braut von Messina. Dispositionen, Aufsätze, Declamationen, freie Vorträge. Dr. Zuschlag.

3. **Lateinisch** (8 St. w.). Horat. Od. III. mit Auswahl. — Cic. Tusc. I. z. Theil und V., de imp. Pomp. — Grammatische Repetitionen. Stilistik nach Berger. Aufsätze, Exercitien und Extemporalien. Uebungen im Lateinsprechen. Dr. Heußner.

4. **Griechisch** (6 St. w.). Sophoclis Electra; Homer. Il. VI. VII. — Thucyd. I. — Grammatik nach Curtius; mündliche u. schriftliche Uebungen aus Seyfferts Uebungsbuch; Extemporalien. Dr. Heußner.

5. **Französisch** (2 St. w.). Töpffer, Nouvelles genevoises. Scribe, Avant, pendant, après. Exercitien; Extemporalien; Schulgrammatik von Plötz p. 1—49. Dr. Lindenkohl.

6. **Hebräisch** (2 St. w.). S. Ober-Prima.

7. **Geschichte und Geographie** (3 St. w.). Geschichte des Mittelalters nach Pütz. Geschichtliche und geographische Repetitionen. Stoll.

8. **Physik** (2 St. w.). Anfangsgründe der Mechanik. Schorre.

9. **Mathematik** (4 St. w.). Progressionen; quadratische Gleichungen. Trigonometrie. Schorre.

10. **Gesang** (2 St. w.). S. Ober-Prima.

Oster-Ober-Secunda (II a).

Ordinarius: Gymnasiallehrer Dr. **Heldmann**.

1. **Evangelische Religionslehre** (2 St. w.). Evangelium des Johannes; Römerbrief. Repetition des Katechismus. Dr. Lindenkohl.

Katholische Religionslehre (2 St. w.). S. Ober-Prima.

2. **Deutsch** (2 St. w.). Literarhistorische Lectüre nach Hopf und Paulsiek. Schillers Maria Stuart. Goethes Egmont. Declamationsübungen. Dispositionen und Aufsätze. Dr. Heldmann.

3. **Lateinisch** (10 St. w.). Verg. Aen. lib. IX. II. Prosodie nach Ellendt-Seyffert. Metrische Uebungen. (2 St.). S: Dr. Weber. W: Dr. Hartwig. — Liv. XXII—XXIII. m. A.; Cic. pro Rosc. Am. — Grammatik nach Ellendt-Seyffert §. 234—344. Exercitien, Extemporalien und mündliche Uebungen nach Süpfles Neuer Folge und Dictaten. Aufsätze. (8 St.). Dr. Heldmann.

4. **Griechisch** (6 St. w.). Hom. Od. lib. IX—XII; Il. lib. I—III. **Memorieren einzelner Abschnitte und Verse.** Herod. hist. lib. V—VII. mit Auswahl. — **Grammatik nach Curtius (Repetition und §. 476—596).** Exercitien und mündliche Uebungen nach Seyffert; **Extemporalien nach Dictaten. Dr. Kius.**

5. **Französisch** (2 St. w.). Chrestomathie nach Plötz. **Grammatik nach Plötz Schulgr., von Lect. 70—79.** Mündliche Uebungen nach Plötz. **Exercitien und Extemporalien nach Dictaten. Dr. Lindenkohl.**

6. **Hebräisch** (2 St. w. mit der übrigen Secunda combiniert). **Grammatik nach Gesenius §. 5—60.** Gesenius Lesebuch §. 1—16. Vocabellernen. Dr. Wendel.

7. **Geschichte und Geographie** (3 St. w.). Römische Geschichte nach Pütz. **Repetition der Preußisch-Brandenburgischen und der Griechischen Geschichte.** Geographische Repetitionen. **Range.**

8. **Naturkunde** (2 St. w.). Mathematische Geographie. **Magnetismus. Wärme. Dr. Uth.**

9. **Mathematik** (4 St. w.). Logarithmen (Heis §. 56—59). **Schwierigere Gleichungen des ersten Grades mit mehreren Unbekannten (Heis §. 65 u. 67). Gleichungen des zweiten Grades mit einer Unbekannten (Heis §. 69 u. 71).** Exponentialgleichungen. **Anfangsgründe der ebenen Trigonometrie. Kreismessung.** Aufgaben aus allen Theilen der Planimetrie. Dr. Uth.

10. **Gesang** (2 St. w.). S. Ober-Prima.

Herbst-Ober-Secunda (II b).

Ordinarius: Oberlehrer **Dr. Prätorius.**

1. **Evangelische Religionslehre** (2 St. w.). **Evangelium des Johannes. Repetition der zwei ersten Katechismus-Hauptstücke nebst Sprüchen und Kirchenliedern. Fürer.**

Katholische Religionslehre (2 St. w.). S. Ober-Prima.

2. **Deutsch** (2 St. w.). Literarhistorische Lectüre nach Hopf und **Paulsiek. Schillers Maria Stuart.** Declamationsübungen. Dispositionen und Aufsätze. Dr. **Prätorius.**

3. **Lateinisch** (10 St. w.). Verg. Aen. lib. VI. **Prosodie nach Ellendt-Seyffert. Metrische Uebungen.** Cic. pro Mil. und pro Arch. p. — Grammatik nach Ellendt-Seyffert, §. 234—280, 310—313. **Exercitien,** Extemporalien und mündliche Uebungen nach Seyffert und nach Dictaten. **Aufsätze. Dr. Prätorius.**

4. **Griechisch** (6 St. w.). Hom. Od. lib. XVII—XIX. **Memorieren einzelner Abschnitte und Verse.** Herod. hist. lib. VI. m. A. — Grammatik nach Curtius (Repetition und §. 476—596). **Exercitien und** mündliche Uebungen nach Seyffert, Extemporalien nach Dictaten. Dr. **Heldmann.**

5. **Französisch** (2 St. w.). Chrestomathie von Plötz. **Grammatik nach Plötz Schulgr., von Lect. 69 an.** Mündliche Uebungen nach Plötz. **Exercitien und Extemporalien nach Dictaten. Langsdorf.**

6. **Hebräisch** (2 St. w.). S. Oster-Ober-Secunda.

7. **Geschichte und Geographie** (3 St. w.). **Römische Geschichte bis zu den Gracchen nach Pütz.** Repetition der Preußisch-Brandenburgischen Geschichte, **Geographische Repetitionen. Wagner.**

8. **Naturkunde** (2 St. w.). Magnetismus. **Wärme.** Dr. Uth.

9. **Mathematik** (4 St. w.). Logarithmen. **Gleichungen des ersten Grades mit einer und mehreren Unbekannten** (Heis §. 63, 65, 67). Exponentialgleichungen. **Kreismessung. Geometrische Constructionsaufgaben.** Beginn der Trigonometrie. Dr. Uth.

10. **Gesang** (2 St. w.). S. Ober-Prima.

Oster-Unter-Secunda (II c und II d).

Ordinarius von IIc: Oberlehrer **Riedel**; von IId: Oberlehrer Dr. **Schmidt.**

1. **Evangelische Religionslehre** (2 St. w.). Leben Jesu nach den synoptischen Evangelien; **Apostelgeschichte.** Repetition des Katechismus und der Kirchenlieder. IIc: Dr. Lindenkohl; IId: Fürer.

Katholische Religionslehre (2 St. w.). S. Ober-Prima.

2. **Deutsch** (2 St. w.). Vorbereitende literarhistorische Lectüre nach Hopf und Paulsiek. **Gedichte.** Schillers Tell. Goethes Hermann und Dorothea. Declamationsübungen. **Dispositionen und Aufsätze.** II c: Riedel; IId: Dr. Schmidt.

3. **Lateinisch** (10 St. w.). Verg. Aen. (IIc: lib. I. II.; IId: lib. III. IV.). **Prosodie nach Ellendt-Seyffert.** Metrische Uebungen. — Liv. (IIc: lib. II. III. V. mit Auswahl; IId: lib. VII, VIII. **mit Auswahl**). Cic. de imp. Cn. Pompeji und pro rege Dejotaro. — Grammatik nach Ellendt-Seyffert, §. 129—233. **Mündliche Uebungen und Exercitien nach Schultz und Süpfle; Extemporalien nach Dictaten.** IIc: **Riedel;** IId: Dr. Schmidt.

4. **Griechisch** (6 St. w.). Hom. Od. lib. III—VI. Memorieren einzelner Abschnitte. — Xen. Anab. lib. III. IV. V. z. Th. — Grammatik nach Curtius (Repetition und §. 339—475). **Mündliche Uebungen,** Exercitien und Extemporalien nach Seyffert und nach Dictaten. IIc: Dr. Prätorius; IId: **Range.**

5. **Französisch** (2 St. w.). Chrestomathie von Plötz. Grammatik nach Plötz Schulgr., Lect. 46—69. Mündliche Uebungen nach Plötz. Exercitien und Extemporalien nach Dictaten. IIc: Dr. Prätorius; IId: Dr. Kius.

6. **Hebräisch** (2 St. w.). S. Oster-Ober-Secunda.

7. **Geschichte und Geographie** (3 St. w.). Orientalische und Griechische Geschichte nach **Pütz.** Geschichtliche und geographische Repetitionen. IIc: Dr. Weber; IId: Dr. **Kius.**

